

Wd
2301





MONIMENTUM CASIMIRIANUM,

Quod

*Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino,***DN. JOHANNI CA-
SIMIRO, DUCI SAXO-
NIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ & MONTANIÆ,**

Comiti provinciali Thuringiæ, Marchioni Misnæ,

Comiti de Marca & Ravenspurgo, Dynastæ in Ravenstein

vobis cuâsiois, beatissimæ recordationis:

QUI

*Absolute navigationis suæ cursu, in hoc
turbulento mundi sælo, placidè inter preces cum astantibus,
astantium lachrymas, aule lamentationes, & cum totius provinciæ
luctu in Christo redemptore suo obdormivit, & hac ex ærumnarum valle
in cælestem migravit patriam XVI. Julij post secundam pomeridianam,
cum in vitæ suæ curriculo confecisset annos L. XIX. mensem
unum cum diebus quatuor;*In Illustrissimo Athenæo Coburgensi, ab ejus
Celsitudine antè triginta ferè annos fundato & aperto,
subjectissimo *συμπαιδείας* affectu, 12. Junij in splendido
confessu posuit, positum erexit, & erectum immortalitati
consecravit**M. ANDREAS Frommann** in eodem Director
& Profess. P.*Premissa sunt parentationi duo programmata, unum adhortarium
ad studiosam Juventutem ipso exequiarum die; alterum invita-
torium ad parentationem; & in fine adjecta sunt tria carmina
threnologica ab eodem conscripta.*

COBURGI,

Typis JOHANNIS FORCKELII, Ducalis Typographi,
Anno M. DC. XXXIV.

*Illustrissimo ac Celsissimo Principi
ac Domino*

**DN. JOHANNI ER-
NESTO SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
viæ ac Montaniæ Duci, Comiti provinciali Thuringiæ,
Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravenspur-
go Dynastæ in Ravenstein, Domino suo
Clementissimo.**

Pacem & salutem cum sana mente in corpore sano.



Magnum illud sapientiæ humanæ o-
raculum & miraculum *Salomon*, *Illustris-
sime Princeps & Domine Clementissime*, in
proverbiis suis memoriam justi vult con-
junctam esse cum laudibus c. 10. v. 7. sic
inquiens: *Memoria justi cum laudibus.*
Quæ verba & *Evangelicè & Politicè* expli-
cari possunt & intelligi. *Evangelicè* qui-
dem de iis, qui ex semine verbi incorruptibilis & permanentis
in æternum renati, 1. *Petr.* 1. v. 23. per lavacrum regenerationis
& renovationis, ut viva membra corpori *Christi* inserti ab in-
eunte ætate nihil planè suis operibus tribuunt, nihil suis me-
ritis adscribunt, nihil suæ sufficientiæ adjudicant, sed in *Chri-
sti* merito omnem suam salutem habent repositam, in ejus
justitia omne quærunt perfugium, in ejus obedientia & sa-
tisfactione omnem beatitudinem gratis unicè collocant di-
centes cum *Jeremia* c. 23. v. 6. & c. 33. v. 16. *Iehova* est justitia
nostra, quia factus est nobis à Deo & justitia & sanctificatio &
redemptio 1. *Corinth.* 1. v. 30. & pro nobis fecit peccatum ut
nos efficeremur justitia *DEI* in ipso 2. *Corinth.* 5. v. 21. qui su-
am



BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

DEDICATIO.

am non dissimulant infirmitatem ex lapsu primorum parentum nostrorum contractam, & in se quoq; per generationem carnalem derivatam, sed cum *Davide* querula voce farentur è *Psal. 51. v. 7.* Ecce in iniquitatibus sum conceptus, & in peccatis concepit me mater mea, & cum *B. Paulo* ingemiscunt ex *Epist. ad Ephes. 2. v. 3.* Naturâ sumus filii iræ; qui cum *Daniele* suam deplorant injustitiam, & in Dei miserationibus omnium peccatorum remissionem sibi contingere posse certissimam habent fiduciam *c. 9. v. 18.* pro qua ad eum orabunt omnes sancti in tempore opportuno *Psal. 32. v. 6.* qui in fide permanent constanter, & in ejusmodi constantia Christo redemptori suo adhærent firmiter, à cujus amore eos nec mors in extremo spiritu, nec vita, nec Angeli, nec principatus, nec virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; alia creatura separare & divellere valet *Roman. 8. v. 28. & 29.* qui bonam militant militiam, habent fidem & bonam conscientiam *1. Timoth. 1. v. 18.* Et hac justitia unice nixi in *V. T. Patriarchæ* cum Regibus, *Reges* cum Prophetis, *Propheta* cum omnibus sanctis in pace huic valedixerunt mundo & ad securissimum æternæ quietis & tranquillitatis portum pervenerunt, ubi omnium bonorum est plenitudo, perfecta beatitudo, salus plena, corruptibilitas nulla & immortalitas beata, certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, amor perfectus, timor nullus, alacer motus & unus omnium spiritus ut inquit *Prosper de vita contemplat.* nec alia nobis coram tribunali *DEI* salutis esse poterit, si exoptatissimam suprenni judicis cum gaudio & exultatione audire velimus vocem: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ac initio mundi *Matth. 25. v. 34.* quandoquidem per gratiam Domini nostri Iesu Christi salvari credimus quemadmodum & illi. *Actor. 15. v. 10.* Hac quoq; justitia in Christianorum orbe innotuisse *Illustrissimum Principem*

DEDICATIO.

cipem nostrum & Patrem patriæ carissimum cum adhuc viveret, pietas ejus, quam materno quasi lacte imbibisse videbatur, cum pietate amor erga Deum, cum amore erga Deum studium erga orthodoxam religionem, cum studio erga orthodoxam religionem assidua precum exercitatio testis est locupletissimus. Erenim à peccatorum sordibus per baptismum ablutus & sanguine *Jesu Christi Filij Dei* precioso emundatus est, fœdus in baptismo cum Christo initum, quantum per naturæ infirmitatem potuit, fideliter servavit, in eorumq; semper fuit numero, qui in lege Domini suam habent voluptatem & in lege ejus meditantur die ac nocte. Verbum siquidem non modo attentè audivit, sedulò legit, sed etiam in corde suo custodivit & in patientia fructum tulit. Fuit instar arboris, quæ plantata secus decursus aquarum fructum suum dat in tempore opportuno *Psal. 1. v. 3.* Ideoq; etiam cum laudatissimo Imperatore *Justiniano* non minorem Ecclesiæ quam vitæ suæ curam egit. Inter eos versari se non ignoravit, qui cum Propheta conqueri coguntur; delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me *Psal. 19. v. 13.* suam tamen infirmitatem non simulavit, suam in errando facilitatem non occultavit, sed vehementer doluit, liberè confessus est, suorumq; peccatorum gratuitam remissionem & absolutionem devota animi humilitate & humili mentis devotione petiit ac impetravit, atq; ita juxta monitum *Pauli* cor suum fide purificavit *Actor. 15. v. 9.* & gattulis sanguinis *Jesu Christi* in sacra cœna mundavit. Quæ omnia iustorum certa & infallibilia sunt *κεκτημενα*, à quibus non aliena est crux & calamitas, quæ illi non defuit omnem per ætatem, sed imprimis eam expertus est anno à beatissima morte sua proximo, suo in territorio tam in se quàm in suis subditis & civibus, in quorum fortunas & bona hostes, harpyiarum instar, armata manu involarunt, aulam omni ornatu & supellectile preciosa exspoliarunt, armamentarium omni armorum copia & varietate instructis-

simum

DEDICATIO.

simum evacuarunt, igne & flammis oppida vicos & pagos perdidierunt, ac tandem quicquid frumenti, vini & pecoris fuit reliquum aut absumserunt aut aliò avexerunt. Sed has fortunæ procellas singulari animi patientia allevavit; admiranda constantia earum transitum expectavit & recordatione vanitatis omnium temporalium fortiter superavit. Quis ergò nisi extremè ingratus ejus memoriam laudibus non cohonestet? præsertim inter subditos, in quos ejus justitiæ, pietatis & amoris erga Deum & orthodoxam religionem splendor in mediis Martis furoribus & atrocissimis persecutionum fluctibus suos sparsit radios, ne cœlestis doctrina & lux Evangelii clarissima sua in provincia à Pontificiorum nebulis obscuraretur, aut aliorum hæreticorum insidiis ac fraudibus vel occultis vel apertis opprimeretur; ingratus, inquam, qui non lingua, ore, animo, cogitatione, opere, literis & calamo ejus memoriam jam post fata prosequatur honorificè, celebret sanctè, ac in universum Christianorum orbem spargat ac disseminet gloriosè.

Politice verò seu *civilter* de iis, qui in societate hominum conservanda secundum honestatis regulam actiones suas composuerunt, suam vitam conformarunt, suos mores regularunt, & neminem lædendo unicuiq; quod suum est tribuerunt; qui in contractibus & commutatione rerum æqualitatis fuerunt observantes, neminem suo defraudarunt, nullis precibus, nullisq; minis ab æquitate averti potuerunt; qui in distributione honorum, dignitatum, officiorum, præmiorum, pœnarum, laborum, pecuniæ, suppliciorum &c. rationem habuerunt & dignitatis personarum & æqualitatis rerum, ut singuli pro merito, quod æquum est non plus vel minus acciperent. Et talium quæ Respublica est feracissima, ea facilimè opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, & virtute honesta evadere potest. Tanta nempe justitiæ vis est, ut in ea non modo aliæ virtutes contineantur, sed omnem suam

DEDICATIO.

lucem, in luce nobilitatem, in nobilitate utilitatem ab ea dependentem habeant, quippe quæ cæterarum altrix est & pater, nec fieri potest ut sine ea quisquam aut liberalitatem exerceat, aut temperantiam colat, aut fortiter pugnando ad laudem aspiret, aut prudenter agendo commendationem mereatur, aut aliis in virtutibus excellat. Ea; propter tam præclaris titulis, tot ac tantis encomiis veteres eam semper ornarunt, quibus nulla præterea in virtutum choro gaudere potest. *Platoni* fulcrum est civitatum; *Pythagoræ* ornamentum virtutum, *Ciceroni* Rerumpublicarum benè constitutarum anima, civitatum norma, legum condendarum regula. *Cypriano* pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies æris, serenitas maris, fecunditas terræ, solatium pauperum, hæreditas filiorum. Novit hoc ipsum *Cambyfes Rex Persarum*, qui iniquum judicem excoriari, pellem ejus detractam sellæ intendi, ac in ea filium ejus judicaturum confidere jussit. Novit *Ferdinandus I. Imperator*, qui à justitiæ regula ne latum unguem discedere voluit, sed crebris sermonibus symboli loco usurpavit & dicere fuit solitus; *Fiat justitia & pereat mundus*. Novit *Phocion vir ille Athenis Clarissimus*, qui suo inter amicos & familiares intimo iniquum quidquam postulanti, respondit. Valde te amo, mi *Antipater*, omniaq; prospera ex animo tibi precor, tui verò gratia injustè nihil agam, iniquè nihil committam. Carior enim mihi est justitia quam tua amicitia. Non potes, ô *Antipater*, *Phocione* & amico & assentatore uti. Non gratis itaq; olim *Romani* ejus fuerunt studiosissimi, sed ut famam Reipublicæ suæ omnem ad posteritatem transmitterent, & sibi laudem immortalem pararent; cujus ut præter cæteras gentes avidi & gloriæ appetentes semper fuerunt, ita eadem potiti sunt per scriptores rerum suarum egregiè gestarum. Eorum ergò memoria apud nos quoq; est cum laudibus, quas in Republica & foro civili

DEDICATIO.

civili non modo oblivione & silentio interire non patiamur, sed eorum vestigiis insistentes justè agendo salutem patriæ promovere & augere omnibus viribus annitamur. Hanc verò justitiam itidem IOHANNEM CASIMIRUM adhuc superstitem magni semper fecisse, coluisse, exercuisse, quem latet, eum necesse est in omnium rerum, quæ sub eius administratione gestæ sunt, ignoratione versari. Sibi enim ab ineunte ætate certo habuit persuasum cum *Nicoele Salaminis Cypriæ Rege* justitiam esse ἰδίου κτήμα τῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν propriam virorum bonorum possessionem, eaq; fieri ut qui Princeps est naturâ, officio evadat Deus, cuius gerit vices in terris, quem inter subditos suis repræsentat virtutibus, sed maximè justitia, qua de fusius in parentatione dictum. Cur ergò & hic obmutescamus ut ingrati? Cur laudes IOHANNIS CASIMIRI silentii vagina includamus? Iustus enim fuit bonos defendendo, malos puniendo: iustus fuit secundum leges vivendo, omnia ad leges revocando. Florebit igitur & in flore manebit memoria ejus in universo Christianorum orbe; florebit & in flore manebit memoria ejus in universa Germania & omnibus Germaniæ provinciis. Erit memoria ejus cum laudibus Coburgi in templo, in aula, in Cancellâ, in curia, in Illustri Athenæo in omnium bonorum cordibus ac animis ex hoc nunc & usq; in seculum seculi.

Celsitud. vero T. Illustrissime Princeps IOHANNES ERNESTE hanc parentationem humilima animi subjectione & devotione inscribere volui ac debui, ut testatum facerem *Magnificentissimi Fundatoris* laudum ac meritorum vivum quasi testem ac præconem esse *Illustriß. hoc Athenæum*, quod *T. Celsitud.* à primis statim incunabulis accepit, & habuit nutritivum quoq; munificentissimum & benefactorem liberalissimum, idemq; cum *Illustrißimo Fratre* beatissimæ recordationis, & eadem clementia, eodem favore, eadem gratia ac do-

cen

DEDICATIO.

centes in eo complecti ea dignata est: pro qua autor vitæ & ne-
cis *T. Celsitud.* & conjugii mellitissimæ, in hac vita ærumnosa
sanitatem constantem, virium corporis & animi vigorem, o-
mniumq; bonorum, quæ *T. Celsitud.* in votis habet, abundan-
tiam & copiam: in altera verò vita aliquando immarcessibi-
lem coronam, cum ineffabili gaudio quod diligentibus se
præparavit, clementissimè largiatur. Coburgi in *Arboreo Ca-
simiriano* 11. Augusti, Anno M DC, XXXIV.

Illustriss. Celsitud. T.

Subjectiss. Clientis

M. Andreas Frommann / Director &
Profess. P.



I.

PROGRAMMA.
AD STUDIOSAM JUVENTUTEM
IPSO EXEQUIARUM DIE IN FRON-
TISPICIO CASIMIRIANO PVBLI-
CE AFFIXUM.

DIRECTOR

ET COETERI PROFESSORES ILLU-
STRIS ATHENÆI CASIMIRIANI STV.
DIOSÆ JUVENTUTI



*Antea est rerum omnium, quæ hujus
fabricæ complexu coërcentur, varietas, ut
in varietate miremur majestatem, in maje-
state veneremur magnificentiam, in magni-
ficientia celebremus pulchritudinem, in pul-
chritudine magnificiamus ordinem, in or-
dine colamus divinitatem; duas tamen in
universo terrarum orbe inprimis eminere,*

*Et in eminentia præ cæteris caput suum efferre, DEUS ille Phi-
losoforum, Et ingeniosissimus rerum tam divinarum quam hu-
manarum interpres Plato non minus prudenter asseruit, quam
verè pronunciavit, nempe in firmamento Solem, Et in Repu-
blica Principem justum: unde hic ab illo in collatione non parum
lucis Et claritatis accipit. Sicut enim Sol in firmamento inter
omnia fidem virtute Et operatione excellit, quem cæteri Planetæ
sequuntur ut ducem, venerantur ut Regem, colunt ut Princi-
pem, suisque radiis quibus splendet, splendore quo radiat, sereno
aëre statim ab ortu suo cuncta è tenebris in lucem reducit, è mor-
te in vitam revocat, cum luce calorem, cum vita motum, cum u*

B

trag₃

MONIMENTUM

2

trag, vim generandi omnibus animatis adfert, & ingentem letitiam in hominibus excitat: ita Princeps justus sua in provincia virtutibus sic radiat ad laudem, rebus præclare gestis sic coruscat ad gloriam, ut subditi eum non ut è mortalium grege ortum, sed de cælo delapsum in reverentia intueantur, in obedientia venerentur, in devotione observent, in observantia honorent: quippe è cæjus justitia, quæ cæterarum virtutum omnium pretiosum est τὰ μυσίον, ceu perenni fonte omnis salus & prosperitas in universum principatum sic dimanat, ut in Ecclesia nec religionem obscurent hæreses, nec in religione cultum DEI inficiat idololatria, nec in cultu DEI pietatem profanet hypocrisis; in foro nec judicia corrumpat δωροποληΐα; in toro nec naufragium faciat fides & castitas. Sole verò Eclipsin patiente, lunaq; ejus lucem & radios, per interpositionem, inter ipsum & terrenum globum, obscurante, ut Astrologi tam ex rationibus è naturæ meditullio haustis, quam ex observationibus tot seculorum decursu probatis omnibus sub lunæ concavo & imprimis viventibus & animalibus nihil non mali prædicunt, & prædicendo in frugibus è terra nascentibus sterilitatem, è sterilitate annonæ caritatem, ex annonæ caritate famem, ex fame omnis generis difficiles morbos & ex his pestem ac universalem infectionem aëris plerumq; minantur: ita regno aut principatu Eclipsin patiente per obitum Regis aut Principis, eo præsertim tempore, quo Martis atrocitas impietate & injustitia omnia implet, scortatione & adulterio omnia polluit, latrociniiis, cædibus & homicidiis omnia cruentat, incendiis oppida vicos & pagos in cineres vertit, subditi mox eas experiuntur calamitates, cives in eas rediguntur angustias & incolarum animos tot ac tantæ certatim distorquent anxietates, quantas nullum ingenij flumen satis exprimere, nedum orationis flore convestire valet. Et has Eclipses non externis intueamur oculis tanquam consueta naturæ opera, quæ ex causis dependent physicis, & ex conditione naturæ necessario eveniunt, sed mente respiciamus
 spacium

spacium præteriti temporis, & adhibita frequenti sacrarum historiarum lectione cumq; profanis instituta collatione, in mutationes, quæ semper periculosæ; in confusiones, quæ semper perniciosæ; in pœnas, quæ semper molestæ; in alia mala, quæ eas è vestigio insequuntur, cogitationes nostras dimittamus. Cum defuncto Salomone, quo sapientiores cœli sidera non aspexerunt, populus Israëliticus conveniret & de mitigando durissimo servitutis jugo, sibi imposito à filio ejus Roboamo, relaxationem peteret, dimisit eum & responsionem in reditu post triduum expectare jussit; interea temporis habita deliberatione & cum senioribus, qui singulas res provident accuratè & in providentia actiones suas dirigunt circumspicte, ut eorum ex dictis & factis nil nisi sapientia, in sapientia constantia, in constantia veritas eluceat, & cum junioribus, qui ob affectuum vehementiam in errorum præcipitia facillè abripiuntur, & cum à cæteris rebus satis tenuiter instructi, tum in consiliis salutaribus ferendis planè rudes sunt & imperiti, seniorum consilium neglexit & ex ore juniorum populum ferociter sic allocutus est: Pater meus imposuit vobis jugum grave, & ego majus pondus apponam: Pater meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus. 3. Reg. 12. v. 9. 13. & 14. & 2. Paralip. 10. v. 9. 13. & 14. Rudolphus secundus Imperator, cui ad Imperii Romani gloriam laudemq; propagandam, augendam & in pace conservandam nihil virtutis defuit, nihil felicitatis DEUS denegavit, cum in vivis esse defisset & natura debita persolvisset, omnia Imperii ornamenta dignitatis, in Imperio Rerum publicarum firmamenta, in Rebus publicis stabilitatis præsidia, aureaq; Germaniæ libertas paulatim expirare, evilesceere & ad ruinam inclinare cœperunt: dum nempe Antichristus ille Romanus ad Confessionem Augustanam ex limpidissimis Israëlitis fontibus haustam, opprimendam, extinguendam & funditus delendam vi & potentia Martis tyrannicè, & Mars clandestinis & cruentis Iesuitarum machinationibus insidiosè omnia fœdera turpiter annihilare, omnia

MONIMENTUM

4

*paeta rescindere, omnia divini & humani juris repagula per-
pere omnibus viribus allaboravit. Ejusmodi Eclipsi ducatum Co-
burgensem carissimam nempe patriam nostram Dominus ex-
ercituum Esai. 6. v. 3. & 28. v. 29. qui ponit nubem vehiculum su-
um, & ambulat super pennas ventorum, Psal. 104. v. 3. imo cujus
est terra & omnis plenitudo ejus, Psal. 24. v. 1. superiori anno
prohdolor! obtenebravit, dum humanis rebus exersit & per mor-
tem ad beatae vitae tranquillitatem ex hac colluvione & aerumnis
evocavit, Illustrissimum ac Celsissimum Principem ac Domi-
num, Dominum IOHANNEM CASIMIRUM, Ducem Sa-
xoniae, Iuliae, Cliviae & Montium, Landgravium Thuringiae,
Marchionem Misniae, Comitem de Marca & Ravenspurgo
Dynastam in Ravenstein, atq; adeo patriam nostram orbavit
patre clementissimo, Ecclesiam nutritio munificentissimo, con-
jugem illustrissimam marito exoptatissimo, literas & literarum
cultores Patrono benignissimo, Athenarum per universam Ger-
maniam celeberrimum Fundatore magnificentissimo, Serenissi-
mam domum Saxoniam ornamento splendidissimo, Imperi-
um Romanum inter prtncipes personas seniore, heroica auto-
ritate & gravitate eminentissimo. O malum universae Patriae
ominosum! Quamvis enim nemo immortalitatem sibi vel in men-
tem venire, vel in cogitationes descendere patiatur, sed unus
quisq; facile sibi persuadeat, se ea lege ex utero matris in hanc
infirmittatis, morborum & mortalitatis officinam prosilisse, ut ex-
acta vivendi periodo natura debita solveret; imo ab experientia
quotidiana evadat certior, aqua moriendi necessitate teneri o-
mnes omnium aetatum, ordinum, sexuum homines, cum infi-
mis summos, cum pauperibus divites, cum senibus juvenes,
cum faeminis viros, id quod L. Sextio consulari in animum re-
vocat Ethnicus Poeta Horatius lib. 1. Carm. Oda 4.*

Pallida mors aequo pede pulsat pauperum tabernas

*Regumq; turres, o beate Sexti, cui non absimilis ille
tritus versiculus,*

Mors

Mors servat legem tollit cum paupere regem.
 Minime tamen eadem judicia ferre licet de obitu magnorum vi-
 rorum & Patriæ Atlantum, quorum vita subditis est solatio, sa-
 lus civibus est auxilio, autoritas incolis est presidio & qui patriæ
 inserviendo seipsos consumere, aut pro Reipubl. salute excubias
 agendo mortem præproperam aut saltem morbos periculosos sibi
 accersere non reformidant, quæ de morte virorum ex promiscua
 plebis multitudine, quorum animi aut nihil aut parum admodum
 præsentunt in posterum, & eisdem regionibus omnes cogitationes
 terminant suas, quibus vitæ spacium est circumscriptum. Hos
 enim natura per mortem ad debitorum solutionem indistinctè
 cogit; illos vero Deus Opt. Max justissimo suo iudicio propter mun-
 di ingratitude & populi prævaricationes è medio tollit, iisq; sub-
 latis provincias confusionibus terroribus & calamitatibus in undan-
 do severissime inhabitantes punit, cujusmodi confusiones, in con-
 fusionibus terrores, in terroribus calamitates ab eo tempore, ex
 quo prædictus Princeps optimus oculos clausit suos & extremum
 spiritum edidit, ad exitum usq; reipsa sumus experti. In tempore
 itaq; resipiscamus & neglectis huius mundi vanitatibus vitam no-
 stram in melius commutemus, imprimis vero assiduas preces fun-
 damus ad eum, per quem Reges regnant & legum conditores justa
 decernunt. Proverb. 8. v. 15. ut ad declinandam ruinam & inte-
 ritum, qui carissime nostræ patriæ imminere videtur, gratiæ ac be-
 nignitatis suæ rivulos derivare & fontem misericordiæ suæ effunde-
 re velit in Illustrissimum ac Celsissimum Principem ac Domi-
 num, Dominum IOHANNEM ERNESTVM Du-
 cem Saxoniæ, Iuliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravium Thu-
 ringiæ, Marchionem Misniæ, Comitem de Marca & Raven-
 spurgo, Dynastam in Ravenstein piè defuncti Fratrem lauda-
 tissimum, Dominum nostrum clementissimum, eumq; cum conju-
 ge mellitissima, omnibusq; officariis in vita diu superstitem, à pe-
 riculis tutum, à morbis saluum conservare & omnium bonorum
 spiritualium ac corporalium copia locupletare; ne eas incurramus

in pœnas, quas immorigero populo Israëlitico minatus est Esaias c. 3. v. 1. & seqq. *his verbis*: Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ: fortem & virum bellatorum iudicem: & Prophetam & Ariolum & senem Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici. Et dabo pueros principes eorum & effœminati dominabuntur eis.

Cæterum, Studiosi Adolescentes, quia exequiis hodiernus dies vicesimus quartus Martij est deputatus, quo in frequentia Illustrissimorum Principum cum Gynecæo Illustrissimo, Generosissimorum Comitum, Nobilissimorum ex Equestri ordine aliorumq; Magnorum Virorum presentia, cadaver ducali pompa ex aulico palatio in D. Mauriti cathedrale templum provebetur, præmissa concione funebri in patrium lithotaphum seponetur, & sepositum ibidem ad quietem asservabitur: vos quoq; Illustris Athenæi Auditoria in Auditoriis parietes, cum parietibus cathedræ, cum cathedris subsellia ad luctum & συμπαθήσειν invitare videntur, quam cum sobria & modesta vita hoc tempore in incessu, in habitu, in vultu, in gestibus, in dictis & factis declarare & omnia doloris ac tristitiæ signa præ vobis ferre debetis: quandoquidem lugetis & plangitis eum, qui pietate erga Deum, amore erga orthodoxam religionem, Illustre hoc virtutum & bonarum artium domicilium è fundamentis excitavit, eaq; sanctissimam fundatione gratissimam sui memoriam apud omnem posteritatem deposuit. P P. 24. Martij Anno M DC XXXIV.

PROGRAMMA INVITATORIUM AD PARENTATIONEM

DEO

*DEO SIC PERMITTENTE,
TEMPORE SIC FERENTE,*

Pro solennitate natalitia Magnificentissimi Fundatoris, Illustrissimi hujus Athenæi, quæ hæctenus à prima illius fundatione quotannis XII. Iuhij in eodem fuit votiva, religiosa, exoptata & studiosis gratulationibus excepta, Viris omnium ordinum ac statuum honoratis pariter ac literatis, omnibusq; Musarum Patronis ac Favoribus in oppido; ut & docentibus in eodem ac discentibus, hujus anni & mensis eodem die de Fundatoris illius vita & morte orationem parentalem promittit & hoc notificat programmate.

M. Andreas Frommann / Director & Professor P.

Non defuerunt omnibus seculis Scriptores, & inter Scriptores Historici, cum Historicis Oratores, cum Oratoribus Politici cum Politicis Poëtæ, qui Imperatorum, Regum, Principum, aliorumq; Heroum & magnorum virorum, qui divinitus excitati inter mortales virtutis viam ingressi & gloriæ iter emensi sunt, symbola memorabilia, cum symbolis dicta sapienter, cum dictis facta seu gesta præclare, cum factis vitam transactam laudabiliter, cum vita finem & exitum literis consignarunt accuratissime, & consignata in orbis terræ memoriam sempiternam disseminarunt prudentissime; non ut posteritas per transfennam cursoria quadam lectione inspiceret, sed in eis ceu clarissimo pulcherrimarum virtutum speculo se ipsam contempleretur ad omnium bonarum rerum studium inflammaretur, & magnitudine ac gloria rerum egregie gestarum ipsa quoq; ad res præclare gerendas exstimularetur & incitaretur. Et hoc ad speculum suos oculos mentis suo in conspectu direxit Cicero Romani nominis & imperii decus immortale

tale, ex eorum gloria quandam effigiem summo ingenio expressam,
 & politam toti posteritati conspiciendam reliquit; id quod testatur
 in orat. pro Archia inquit: Quam multas nobis imagines
 non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum for-
 tissimorum virorum expressas scriptores & Græci & Latini re-
 liquerunt, quas ego mihi semper in administranda Republi-
 ca proponens, animum & mentem meam ipsa cogitatione
 hominum excellentium confirmabam. Plutarchus Philoso-
 phus ille & orator clarissimus Iulii Cæsaris, Cn. Pompei Magni,
 Hannibalis, Agesilai, Themistoclis, Timoleontis, Marii
 Syllæ, Luculli & aliorum Illustrum Virorum vitas singulari stu-
 dio in tribus distinctis tomis delineavit, eosque ab omni mortalitatis
 & oblivionis injuria sua diligentia & ingenij felicitate asseruit. Q.
 Curtius Alexandri Magni res gestas cum virtutibus & moribus
 cum victoriis & triumphis, numero præliorum, multitudine gen-
 tium subactarum, varietate regionum sub potestatem suam reda-
 ctarum aliisque memorabilibus literis prodidit doctissime. Dion
 Cassius Coccejus historias Romanas octuaginta distinctis libris li-
 terarum lumine accendit, quorum plurimi incuria hominum in-
 tercederunt, in iis vero qui superstites nostra viderunt tempora, non
 nulla Romanorum bella copiose descripsit, & Imperatorum à Ju-
 lio Cæsare usque ad Alexandrum Severum trigesimum in ordine,
 vitas & res gestas exposuit. Eodem de argumento suis posteritatem
 donarunt monumentis singulari cura elaboratis, Polybius, Dio-
 nysius Halicarnassæus, Diodorus Siculus, Livius, Appianus
 Alexandrinus, Paulus Orosius, Suetonius, Eutropius aliisque
 permulti. Valerius Maximus dictorum & factorum memorabi-
 lium libros congeffit novem. Iulius Florus rerum à Romanis ge-
 starum libros conscripsit quatuor. Ælianus opusculum collegit va-
 riarum historiarum, sibiisque & illis, quorum res gestas, dicta & fa-
 cta memorabilia adumbrarunt, immortalē gloriam nominisque
 celebritatem pararunt. Cicero Iulij Cæsaris in oratione pro M.
 Marcello, Cn. Pompei Magni in oratione pro lege Manilia in
 aliis

aliis aliorum de Republica Romana optimè meritorum propter magnitudinem rerum gestarum honorificam facit mentionem. Horatius Poëta Venusinus Augusti Cælaris, Drusi & aliorum laudes suis in odis passim celebrat. Fuit autem majorum nostrorum ætas ejusmodi Scriptorum & Historicorum feracissima, cum quod Heroes olim ac magni Viri pleriq; laudis & gloriæ essent sitientissimi; tum etiam quod suos laudum ac meritorum præcones in magno haberent precio, eosq; beneficiis innumeris cumularent. Themistocles dux ille fortissimus, summis ornamentis, honoris fortune, virtutis, ingenij nobilitatus, rogatus aliquando quod æquæ, aut cujus vocem libentissimè audiret, respondit: Ejus, à quo sue virtutes optimè canerentur Plutarch. in eius vita. Cicero pro Archia. Valer. Max. lib. 8. c. 14. Alexander Magnus rerum à se gestarum tot propemodum habuit interpretes, quod milites; nihilominus cum Sigæo ad Achillis tumulum adstaret; ô fortunate adolescens, dixit, qui tue virtutis Homerum præconem invenisti Plutarch. in eius vita. De C. Mario meminit Plutarchus, quod à literis & artibus humanioribus planè abhorruerit, nihilominus in amicorum numero habuit L. Plotium, cujus ingenio putavit ea quæ gesserat, posse literarum monumentis consignari. Superior Africanus Ennium Poëtam omni excepit honore & reverentia, ejusq; imaginem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quod ab eo sua præclare facta versibus mandari posse non dubitaret. Plin. lib. 7. c. 30. Cicero pro Archia Cn. Pompejus Magnus, qui cum virtute fortunam adequavit, ne à gloriæ affectu videretur alienus, Theophanem Mitylenæum scriptorem rerum suarum in concione militum civitate donavit. Strabo lib. 13. Valer. Max. lib. 8. c. 14. M. Fulvius ut laudem famamq; nominis immortalem sibi conciliaret, confecto bello Ætolico Marti manubias Musis consecravit. Cicero in orat pro Archia.

Hæc Scriptorum industria in describendis vitis & rebus gestis Heroum, licet Ethnicorum quorum mentes nulla divini Spiritus lux circumfulsit, suam meretur laudem & commendationem,

C

pre.

praesertim apud eos, quorum animi generosi & à natura bene in-
formati ita accendantur ad amplitudinem & gloriam & ad res
magnas praecclare gerendas, ut ad extremum spacium nullum tran-
quillum & ociosum Spiritum ducant, amore solius gloriae, quae fax
est mentis, quae sola animos mortalium perurit inflammatq; ad
magna capessenda, ad pericula intrepidè subeunda ut inquit Bero-
ald. in libello de felicit. Eorum itaq; exemplis moti hac quoq;
tempestate silentio minimè involvamus Heroum & Virorum Illu-
strium virtutes, cum virtutibus res praecclare gestas, cum rebus
praecclare gestis merita in Ecclesiam Rempublicam & patriam,
sed grata mentis significatione, ore & calamo, literis & scriptis ce-
lebremus, extollamus & magnificiamus, non tantum in vivis, sed
etiam post funera; imprimis verò eorum, qui in universo naviga-
tionis suae cursu, pietate & amore erga Deum inclaruerunt, suisq;
erga orthodoxam religionem studij monimenta reliquerunt ejus-
modi, quae ob immensam utilitatem, quam in omnes vitae status
abundè fundunt, nullis locorum cancellis includi, nullis temporum
periodis terminari, nullus Rhetoris facundiâ non dicam concin-
nis oratoriis exornari copiosè sed verbis sufficienter explicari que-
unt, hoc est ut Poëta loquitur, aere sunt perenniora, regaliq; situ
pyramidum altiora: quae non imber edax, non impotens Aquilo
diruet, aut innumerabilis annorum series & fuga temporum
abolebit: seu ut Nepotum Romuli disertissimus rhetorifatur,
quae vigeant memoria seculorum omnium, quae posteritas alet,
quae ipsa aternitas intuebitur in orat. pro M. Marcello. Ho-
rum gregi annumerandum merito censemus, Illustrissimum
ac Celsissimum Principem ac Dominum, Dominum IO-
HANNEM CASIMIRVM Ducem Saxoniae, Iuliae,
Cliviae ac Montaniae, Comitem provincialem Thuringiae,
Marchionem Misniae, Comitem de Marca & Ravenspurge,
Dynastam in Ravenstein beatissimae recordationis. Quamvis
enim eum nec à victoriis gloriosis possimus commendare ut Iulium
Cæsarem, nec à triumphis praecclaris laudare ut Cn. Pompejum
 Ma.

Magnum, nec à præliorum magnitudine & numero extollere ut Alexandrum Magnum, quæ omnia inivis magni fecit, & gloriam suam illis non detraxit; sua tamen erga Deum pietate, erga orthodoxam religionem amore, quem beneficiis in Ecclesiam, meritis in Rempublicam, commodis in Patriam abundè satis ad extremum usq; spiritum declaravit, aliarumq; virtutum maximarum splendore plus laudis & gratitudinis in Christianorum orbe promeritus est, quam illi admirationis & gloriæ apud omnem posteritatem. Quo de qui dubitat, omissis aliis in Illustrissimum & celeberrimum hoc Athenæum non modo oculorum suorum convertat aciem, sed etiam mentis oculos dirigat & cogitationes dimittat suas, quod propria pietate motus, benevolâ erga subditos affectione inductus, innato erga Rempublicam literariam favore incitatus, & a vi religiosissimi suorumq; majorum laudatissimorum exemplis illectus; è fundamentis excitavit sumptuosissimè, excitatum aperuit felicissimè, ut esset religiosissimum Theologiæ sacrarium, Jurisprudentiæ collegium augustissimum, Medicinæ domicilium saluberrimum, Philosophiæ templum nobilissimum, artium liberalium & linguarum cardinalium officina sanctissima, atq; adeo pulcerrimum civitatis hujus & totius provinciæ ornamentum & quasi armamentarium mysticum, quod ab ejus nomine Casimirianum dicitur, & ad immortalæ fundatoris gloriæ justissimè ita dicitur. Ut aliæ taceamus ædificia Deo in honorem magnificè extructa, insigni arte elaborata, ordine convenientissimo disposita & divino cultui dicata, quæ ut præcones virtutum & pietatis ejus jam post fata beatissima multos in admirationem rapiunt. Extrema ergo ingratitude foret, si ea beneficia ex animo elabipateremur, ea merita oblivione sepelire ac de iis commodis altum agere vellemus silentium in eo Athenæo, cujus fundatione piissima sui memoria gratissimam apud posteros deposuit. Quare Deo tristissimam banc Catastrophen permittente propter transgressiones & peccata populi, proximè sequenti die Jovis, qui erit 12. Junij, natalitiam solennitatem

tem & votivas gratulationes in threnologiam ac funebrem sermonem convertemus, & Principis religiosissimi, qui jam beatus aeo sempiterno fruitur, ortu, majoribus, virtutibus obitu verba faciemus: quam ad panegyrim ut Viri honoratissimi, qui civitatis hujus lumina sunt & columina, tum vero Studiosi bonarum artium ac partium, quos vel Academia nobis restituit, vel qui discendi gratia adhuc in nostris castris militant post campanæ pulsum confluant & in auscultando benevolos, in judicando æquos, in condonando faciles se præbeant, obnixè rogamus. P.P. die 8. Junij Anno salutiferæ incarnationis. M. DC. XXXIV.

PARENTATIO

DE

VITA ET MORTE JOHANNIS CASIMIRI.

Exordium.



Tristem & lamentabilem Catastrophem! quam proximè precedenti anno, & illius anni duobus mensibus nobis hætenus ominosis non superstiosè, fatalibus non stoicè, sed singulari DEI providentis dispositione notabilibus religiosè, & religiosè notabiliter, Junio nempe & Julio seu Quintili, hæc provincia, in hac provincia metropolis, in metropoli templum, cum templo aula, cum aula Cancellæ, cum Cancellæ Curia, cum curia Athenæum, in Athenæo auditoria, in auditoriis subsellia, non sine metu imminentium malorum viderunt & experta sunt. O *tristem & lamentabilem Catastrophem!* Postquam enim duodecimo Junij, quo primum materni uteri cancellis egressus est **ILLUSTRISSIMUS ac CELSISSIMUS PRINCEPS ac DOMINUS D. N. IOHANNES CASIMIRUS**, Dux Saxonæ, Julix, Clivix ac Montanæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ Comes de Marca & Ravenspurgo, Dynasta in Ravenstein *beatissime*

simè

sime recordationis, conjunctis vocibus ac animis in gratiarum actiones, è gratiarum actionibus in suspiria, è suspiriis in vota, è votis in preces, è precibus in jubila, è jubilibus in faustas acclamationes animum descendimus: imò nobiscum in provincia cum nobilibus plebei, cum plebeis nobiles, in metropoli cum incolis cives, cum civibus incolæ, in templo cum Pastoribus auditores, cum auditoribus Pastores, in Aula cum officiariis gynecæum, cum gynecæo officarii, in Cancellis cum scribis Consilarii, cum Consiliariis scribæ, in Curia cum senatoribus consules, cum consilibus senatores, omnia lætitiæ & hilaritatis signa præ se tulerunt: Vix verò menstruo spacio præterlapso gratulationes in luctum, lætitiæ in tristitiæ, gaudium in dolorem, vota in lamentationes, jubila in querelas, acclamationes in miserabilem clamorem abierunt, quando post exantlatos morbi labores & dolores beatam exhalavit animam, & vitam caducam immortalis, brevem eternam, laboriosam quietam, miseram beatam vel potius mortem vitam commutavit. Hic nempe exitus hic occasus est bonorum omnium, ad hunc scopulum, quæcumq; admirantur homines, illisa franguntur; in has tenebras ac solitudinem redigendum, quicquid in mortalium oculis enitescit. Et sanè frequentius hodie nihil est in Germania, quam ut præ angustia inter armorum strepitum, præ anxietate inter clamores militum, præ timore & animi consternatione inter tot minas Martis atrocissimas plurimi subditorum & civium in ætatis flore constituti horum infelicium temporum molestias deserant, suisq; corporibus egrediantur ut vivi solent è cubili; suas interim uxores relinquunt viduas, liberos orphanos ab omnium hominum ope & auxilio destitutos: hinc luctus oritur incredibilis, ejulationes audiuntur incessabiles, ut ipsa tæta cum parietibus, parietes cum columnis ad commiserationem conspirare videantur in eorum ædibus, in quibus Paterfamilias in exorabilibus Parcarum sanctionibus extremum spiritum edidit. Quem verò nos amisimus? Viri Admodum Reverende, Magnifice, Nobiles, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi,

mi, Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi, Præstantissimi & Humanissimi Dnn. Mæcenates, Patroni, Fautores, Amici, Collegæ & Hospites quotquot adestis lectissimi submissè, officiosè & reverenter colendi, tuq; Studiosorum Adolescentum concio lectissima, florentissima; *Quem, inquam, nos amisimus? quem fata nostris omnium oculis eripuerunt? non unius familiæ Patrem sed universæ provinciæ seu Patrem Provinciale, in quo cives ac subditi experti sunt religiosissimi erga se propensissimam benevolentiam & coluerunt piissimi heroicam gravitatem, & in deliciis habuerunt Clementissimi admirabilem humanitatem, & admirati sunt humanissimi singularem facilitatem & venerati sunt justissimi incredibilem sinceritatem: non inter mortales hominem sed inter homines mortalem & terrenum quemdam DEUM, Ecclesiæ nutritium, Athenæi hujus fundatorem magnificentissimum, literarum Patronum munificentissimum, literatorum Mæcenatem benignissimum, Reipubl. asylum tutissimum, oppressorum perfugium certissimum, justitiæ assertorem rigidissimum, scelerum vindicem & bonorum defensorem acerrimum, Saxoniciæ familiæ ornamentum splendidissimum & ut Propheta loquitur coronam capitis nostri pulcherrimam* O fatum triste & luctuosum! O casum acerbum & afflictum! O indubitatum ingruentium calamitatum præsagium! Quis ergo fontem subministrabit lachrymarum, quibus desleat provincia suum Patrem, mortales suum DEUM, Ecclesiæ suum nutritium, Athenæum suum fundatorem, literæ suum Patronum, literati suum Mæcenatem, Respublica suum asylum, oppressi suum perfugium, justitia suum assertorem, scelera suum vindicem, boni suum defensorem, familia Saxonica suum ornamentum, capita omnium nostrum coronam suam. *Ague vero misceamus lachrymas præpotentis & immortalis Dei voluntate, temperemus luctum inevitabili humanæ conditionis necessitate, & moderemur fletum mole ingravescentis ætatis, ad quam etiam è promiscua pæbe vix centesimus hodie aspirat, sed ita, ne transgressiones nostras,*

qui-

Jer. 5. v. 16.

quibus Deum offendimus, & peccata, quibus inter penas hanc gravissimam in nos derivavimus, ex animo & memoriâ elabi patiamur: Imò de admissis dolentes, quod mutare non valemus, divinæ voluntati commendemus; quod impedire non potuimus, molli ingravescentis ætatis ascribamus, omniaq; divinæ providentiæ decreta æquo animo feramus. Itaq; hoc unum restat, ut cum Ecclesia, in qua nuper ejus memoria in honore personuit, mutuas tradamus operas & monumentum non ex lapidibus marmoreum, sed sermone funebri scholasticum, quantum est situm in nobis, piè defuncto principi eodem in Auditorio, quod ab illius primordiis Casimirianum dici consuevit ponamus, positum erigamus, & ætæ immortalitati consecremus. Unde verò illa Oratio, quæ tanti Principis ex æquare potest laudes? quæ fluunt à multitudine eorum beneficiorum, quæ nulla ingenij vis exprimere, nulla dicendi copia exornare, nulla indolis fecundia explicare valet: animum pudor occupat, cum in Personam cujus gratia ad dicendum surrexi, in locum quo conspicior, in cathedram quam impleo, in concursum literatissimorum virorum, quem intueor, cogitationes meas dimitto; meam verò in dicendo imperitiam animo comprehento, ut si liberum mihi esset, malletm horrore sacri silentij obsignare luctum, & Harpocratis in morem mea sponte obmutescere, quam dicendo fortunam periclitari. Vela tamen ventis permittere constitui ad portum σὺν Ἰεῶ propulsurus, præsertim cum in hac insolita mihi ex hoc loco dicendi ratione ejusmodi campus apertus est, in quo nemini oratio deesse potest, & in qua difficilius est exitum invenire, quam principium facere. Dicendum est enim mihi de Illustrissimi Principis IOHANNIS CASIMIRI ὡς ἐν ἀρχαῖς ortu, majoribus, virtutibus, obitu, quibus alij circa laudem personarum occurrentes loci includuntur. Antequam verò hoc facere aggrediar, à vobis, Auditores omnium ordinum honoratissimi, omni opere contendo, ut mihi ex innumerabili copia eorum, quæ de illo commemorari possunt, pauca breviter libant.

Propositio.

banti favorem vestrum in auscultando concedatis, & cursum Orationis meae benevolentiae vestrae favonio sublevetis.

Ut igitur limine egrediar, initio mihi redarguendus illorum occurrit error, qui generis nobilitatem ut fortuna depositum, & αἶψα τὸν ἀεγυρίων bonum majoribus acceptum ferendum, in nullo habent precio, allegantes illud Poëta:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censei, pictosq; ostendere vultus
Majorum.

Et cum illo Poëtae illud quoque Senecæ: qui genus jactat suum, aliena laudat: ideoque in descriptionibus personarum omnino silentio prætercundam esse clamitant, quod & Aegyptios suis in funebribus sermonibus quondam fecisse literis est proditum. Sed vulgi hæc somnia, cui placere sapientibus est displicere, levis sunt armaturæ et si ad Lydium revocemus lapidem: abeunt in fumum & mole ruunt sua. Quis enim dubitat generosam indolem à parentibus in utramque partem proseminari & transfundi in liberos? Quis ambigit liberos à parentibus omnem haurire sanguinem, cum sanguine idem temperamentum, cum temperamento mores, quos tam exactè exprimunt sicut alites eundem in pennis colorem cum parente referunt. Et quis unquam è squilla rosam, aut ab aquila columbam progenerari vidit, adeo verum est, quod Poëta his complexus est versiculis:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvenis est in equis parrum
Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant æquilæ columbam.

Alexander ille, qui à rebus præclare gestis Magni cognomen adeptus est, suis heroicis factis multum lucis & claritatis majoribus suis attulit, sed non minus splendoris in splendore commendationis in commendatione gloriæ sibi accedere arbitratus, quod Philippo filio illo Amyntæ animoso ut Mantuano, Rege Macedonum callido ut nuncupatur juvenali esset editus. Quæ omnia

mina

Narratio
Encomia-
stica.

Plutarch.
de educat.
liberor.

Juvenal. l.
3. sat. 8.

In Hercule
furente.

Dionys. l. 1.
cap. 8.

Plutarch.
de educat.
liberor.

Lemnius l.
1. de occult
nat. mirac.
cap. 4.

Horat. l. 4.
carm. oda.
4.

omnia argumento esse poterunt, parum eos vel sapientie vel sanitatis habere, qui generis splendorem ut bonum alienum ad commendationem nihil habere virium nugantur, nec solliciti sunt de majorum suorum origine sive terræ filij, in quibus nec lucis scintilla, nec gloriæ umbra unquam apparuit, sive rerum gestarum magnitudine insignes de Republica & Patria fuerint meritissimi.

Natus itaq; fuit IOHANNES CASIMIRVS & in hujus mundi diversorio primùm hanc lucem aspexit 12. Junij. Anno supra millesimum quingentesimum sexagesimo quarto, Gothæ Thuringiæ oppido à bellicis periculis per universam Germaniam notissimo, atq; adeò rebus & secundis & adversis celeberrimo: quo anno ab hujus vitæ molestiis & turbulentissimis tempestatibus ad securissimum quietis & tranquillitatis portum morte delatus est, & ejusdem quoq; mensis die, qui Divò Iacobo sacer est, ad cœlestem patriam emigravit FERDINANDVS. I. Imperator, cujus in religione pietas, in consiliis sapientia, in actionibus prudentia, in linguarum cognitione experientia, in congressibus humanitas in historiis passim celebratur, quiq; suo symbolo, Fiat justitia & pereat mundus, talem se esse probavit in Imperio, qualem Poëta ad vivum expressit:

Iustum & tenacem propositi virum,
 Non civium ardor prava jubentium,
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solida; neq; Auster
 Dux inquieti turbidus Adriæ,
 Nec fulminantis magna Iovis manus,
 Si fractus illabatur orbis
 Impavidum ferient ruinæ.

Eodem anno & mense Filius ejus Maximilianus II. ad Imperij gubernacula admotus, patri successit ut in regno, sic & in heroicis virtutibus, cujus mores legum instar habuit & juxta monitum Atheniensium Rhetoris turpe sibi fore existimavit, si parentis virtute præstantissimi animum non exprimeret, cum picto.

D

res,

Horat. lib.
 3. carm. O-
 da 3.

Isoerat. ad
 Demon.

res, quæ in animantibus pulcra, quæ venusta, quæ concinna, vivis coloribus quasi exprimant. Sacris cum initiandus & in vitæ librum inferendus esset, boni ominis ergo proculdubio hoc nomen adeptus est, quod ante ipsum cuidam è serenissima Regum Poloniae prosapia & è familia Electorali Palatina impositum fuisse ex annalibus eorum constat.

Patrem habuit IOHANNEM FRIDERICUM II, du-
cem & Principem in utraq; fortuna exercitatissimum, cujus ætas in libertate & in ætate libertas, quando Rem administravit publicam, in ea incidit tempora, in quibus Ecclesie atrocissimæ persecutionum procellæ imminere videbantur ob detestabile INTERIM, à quibusdam suspectis Ecclesie Doctoribus conscriptum captiosè, à Pontificiis commendatum insidiosè, à CAROLO V. multis protestantium Ecclesiis sub comminatione pœnarum obtrusum satis impet-
riose, adeo ut illud eò usq;, donec liberum ac universale Concilium cogeretur, & controversiæ de religione motæ componerentur, acceptare nolentes, Imperator instinctu Papæ proscriberet, & pros-
criptos armis persequeretur: nullis tamen vel minis deterreri, vel persuasionibus adduci potuit Optimus Princeps ut relicta vera Evan-
gelij doctrina in Prophetarum & Apostolorum scriptis fundata solidè, in Augustana Confessione comprehensa succinctè, ab augustissimo Patre propugnata heroicè, illud amplecteretur. Tanta vis est veræ religionis & fidei, ut non tam nomine, quam re & animo & tota vivendi ratione Christianissimus pro ea vitam amittere, & cum vita sanguinem profundere non vereatur, & pœnam semper ante oculos versari putet, qui vel periculis deterritus turpiter eam deseruit, vel spe præmiorum, honoris, divitiarum, aliorumq; bonorum abnegavit liberè. Nec acquievit, postquam in Ecclesiis Saxonis non multo post variis ortis schismatibus nonnulli Augustanæ Confessioni addicti, sed pietatis & religionis integumento fallaciter implicati omnem dederunt operam, ut incautæ plebeculæ mentes falsis opinionibus opplerent, analogiam fidei labefactarent & rectè sentientium animos turpissimis erroribus

bus constringerent; sed suo & Illustissimorum Fratrum nomine ea mox publico scripto ex verbo Dei impugnari & impugnata confutari curavit, eoq; haeresium semina extinxit, fibras elisit, aliq; Zelo pietatis avertit, quae subditorum aeternae animarum salutis impedimento futura esse praecognovit. Interim quid alij quaesierint, quid monstri aluerint, quid moliti fuerint, nec scimus, nec scire nobis expedit, nec quae jacent in tenebris, in manifestam proferre lucem, aut quae sepulta sunt refodere nobis est animus. Id vero ab omni dubitatione est alienum Iohannem Fridericum II. Marte & Arte, quae cum majestate raro hodie conveniunt, excelluisse, sed propter fortunae impetus, quos sustinere ac superare non potuit eisdem regionibus, quibus vitae spaciū circumscriptum est, actiones suas terminare voluit. Martis nihilominus hoc singulare edidit specimen, quando à partibus Magnanimi Patris in praelio coram Mulberga ad Albim cum Caesare commisso fideliter stetit, eiq; magno & impavido animo ad vulnera usq; suam navavit operam, donec à concursu hostium superatus fugam vitam redimere coactus est. Tanta in eo Reipb. bene gerendae & patriae defendendae spes effulgebat, ut ejus virtute omnis salus, omne praesidium & firmamentum contineri videretur. Artis vero & eruditionis singulare, imò rarum & inusitatum fuit exemplum, quando aetatis suae anno 14. orationem latinam in Academia VVittebergensi tam perspicue ut ab omnibus intelligi, tam clare ut ab omnibus audiri, tam distincte ut ab omnibus memoria comprehendi posset, habuit, ut Megalandro Luthero & caeteris Professoribus magnae esset admirationi. Tam certo habuit exploratum illud Ciceronis duas esse artes, quae homines possunt in amplissimo dignitatis gradu locare; quarum una est Imperatoris, altera Oratoris boni.

Avus ipsi fuit IOHANNES FRIDERICUS I. At ô bone Deus, quis & qualis princeps? qualis & quantus heros? Ejus res gestas, quae ex virtutibus effloruerunt, & in omnes orbis angulos dimanarunt, si non orationis flore convestire, sed brevi penicillo

Sleidanus l.
19. de statu
relig.

Tom. 4. Je-
nenf. f. 763.

In orat. pro
Murena.

adumbrare vellem, citius me deficeret dies, quam verba. Quis enim ignorat in eo, ceu clarissimo virtutum speculo, illa omnia, conspecta fuisse, quae divina, quae heroica quae admirationis plena, quae humanis viribus majora, tum in Pacis studio celeberrimis tum Martis gloriâ laudatissimis, tum virtutis laude gloriosissimis Heroibus quondam fuere observata. Pietatem si intueamur, quis eo fuit religiosior? Religionem si consideremus, quis in fide eo fuit constantior? Fidei confessionem si ponderemus, quis in amore erga Deum eo fuit ardentior? In quae enim odia apud Papam & insulatam ejus cohortem propter reformatam per Divi Lutheri ministerium Ecclesiam incurrit, quibus insidiis propter Augustanam confessionem ex mero pietatis Zelo se objecit, quibus deniq; vitae & fortunarum periculis propter constantem Evangelij confessionem se exposuit, pleni sunt omnes annales, plena sapientium voces, plena Iohannis Sleidani & aliorum fide dignorum historicorum volumina. Ecquod enim est hodie in universo terrarum orbe regnum, in regno provincia, in provincia oppidum, cum oppido pagus, cum pago vicus tam inaccessus, tam ab omni hominum frequentia desertus, quo non Principis huius religiosissimi fama propter Evangelicam veritatem constantissime propugnata pervenerit? quis populus, quae gens quae hominum natio vel immanitate tam barbara, vel barbarie tam immanis, in Christianorum pomerio vel moribus tam polita, vel disciplinis atq; artibus tam exculta, quam non ejus heroica magnitudo, non gloria modo & laude, sed etiam admiratione complevit? Non eum post inceptam reformationem à semel agnita & apprehensa veritate inter frequentes & assiduas sacrae Scripturae lectiones, repetitiones & meditationes aut Papae dehortationes repetitae, aut Imperatoris proscriptiones iteratae, aut Regum, Electorum, Principum & magnatum contradictiones male fundatae, non deniq; captivitas in captivitate ipsa mortis comminatio revocare, multo minus terrorem ei incutere, nedum animum ejus immutare potuerunt. Alexander Magnus aliquando interrogatus de suis thesauris, quos haberet optimos,

optimos, digito monstravit amicos, eosq; sibi optimos esse affirmavit. Quem verò putatis IOHANNEM FRIDERICUM Electorem optimum habuisse thesaurum? certè non inter Reges & Principes amicos ac familiares, non inter metalla aurum & argentum, non in omnium rerum abundantia, opes & divitias, non in provincia sua artes benè munitas; sed purum Dei verbum, quod lucerna est errantibus in tenobris, lumen est cæcutientibus in erroribus; & cuius amor in cognitione, in πείραξι & usu cognitio viam ad eternam felicitatem monstrat securè, odium verò in ignorantia, in neglectu ignorantia eternum exitium hominibus minatur periculosè. Non dicam de cæteris virtutibus, quibus vitam suam tanquam quibusdam stellulis illuminavit, inq; sic illuminata non tam vitæ quam gloriæ curriculum confecit, ut non tam ex mortalium grege ortus, quam de cælo delapsus videretur. Commendent alia regna in Christianorum orbe suos reges ab amore Dei, hos omnes pietate superat Iohannes Fridericus Elector. Extollant alie provincie consilia in providendo in suis principibus, hos omnes longo post se intervallo relinquit sapientissimus Iohannes Fridericus Elector. Glorientur regiones alie in suorum Ducum manu bellicosa, illæ tamen admirari coguntur Iohannem Fridericum Electorem. Obstupescat orbis, si quem principem videat insigniter continentem, in continentia moderatum, in moderatione mansuetum, in mansuetudine humanum, in humanitate facilem, in facilitate magnanimum, obstupescet certè in Iohanne Friderico Electore. Ad astra evebant quicunq; subditi Dominorum suorum erga se amorem, hos omnes affectu vicit Iohannes Fridericus Elector, cui cum Imperatore Augusto plus gaudij & lætitiæ peperit in animo patris patriæ appellatio, quam pomposus titulus, quiq; bonum principem nihil differre à bono patre, non verbis aut titulo nudè declaravit, sed affectu & opere ipso in vita probavit clementissimè. Proh Deum immortalem! quid est si hoc non est sanctè vivere & in terris inter mortales cælestium vitam imitari? Non igitur vel imber edax eluet, vel eum imbre aquilo

Xenophon
lib. 8 πει-
ραξίας κύριος

Horat lib.
3. Carm. 03
da. 30.

*impotens evertet, vel cum aquilone innumerabilis annorum series
& fuga temporum diruet hoc monimentum post beatissimum obi-
tum à sancta Christi Ecclesia ipsi erectum his verbis: IOHANNES
FRIDERICUS DEI gratia, electus martyr IESU CHRISTI
Dux afflictorum, Princeps confessorum fidei, comes verita-
tis, signifer sanctæ crucis, exemplum patientiæ & constantiæ,
hæres vitæ æternæ.*

*Ab avo ordo nos manuducit ad ejus proavum, qui fuit IO-
HANNES Elector, æternum illud familiæ Saxonice ornamentum
& gloria immortalis, de cuius laudibus, quæ vigeant memoria
seculorum omnium, in his chartarum angustiis præstat tacere,
quam verba facere, ne, quia splendidissima, tenebris involvere,
quia literarum fontibus ac elementis ad existimationem hominum
& famam pervenerunt & omnem in terram diffuse, certis cancel-
lis & finibus includere videamur. Cum anno M D. XXV. rustici
in Germania præsertim verò in Suevia & Franconia suos contra
magistratus insurgerent, & nobiles suis ex arcibus eijcerent, o-
mnibus fortunis exspoliarent, & sic exspoliatas in pulveris habi-
tum redigerent ac flammis perderent, Thomas quoq; Münsterus
homo factiosus & turbulentus, quasi furiarum facibus actus in
Thuringiæ quibusdam oppidis similem tragediam infauso omine
& successu infelici excitavit, & manipulo ex rusticis rei militaris
prorsus ignavis & profligatorum hominum sentina collecto, falsa
atq; inani libertatis ostentatione miseram plebeculam in fraudem
duxit, & aureos montes ei pollicendo ad seditionem movit; con-
tra eum expeditionem IOHANNES Elector suscepit & auxilia-
tricibus copis GEORGII Ducis Saxonie, PHILIPPI Hassiæ
Landgravii & HEINRICI Ducis Brunsvicensis mox in primo
congressu exercitum ejus ex diffidentia causa nimis perterritum
dissipavit, & dissipati partem in fugam egit, partem verò eamq;
potiorem ferro & armis prostravit & extinxit, eoque alius ejus fa-
rina temerariis & audaculis terrori fuit, ne quid novarum rerum
pro-*

Sleidanus l.
s. de statu
relig.

Annales
Thuring.

proprio ausu molirentur, servitutis jugum excuterent, imperitum popellum in magistratum armarent, ac pacem deniq; publicam, contra fidelitatis juramentum turbarent. Inprimis vero nec pretereunda silentio nec tradenda oblivioni Electoris & Principis hujus nunquam satis laudati in religionis zelo pietas, in pietate amor verbi DEI incredibilis, quem ceu pralucens sibi prestituit facem in consiliis, quae ferebat sapienter, in actionibus quas suscipiebat prudenter, in vita quam traducebat sanctè, in precibus quas fundebat attentè, ut tanquam perfectum & omnibus numeris absolutum antiquae illius innocentiae, in innocentia devotionis, in devotione integritatis exemplar omnium praedicatione celebraretur. Curriculum vitae ejus circumspiciamus, singula animis diligentissime lustremus, annon illa comitia, Dei directione Augusta Anno M. D. XXX indicta, à tot Reverendissimis Episcopis, tot serenissimis Electoribus, tot Illustrissimis Principibus, tot potentissimis Imperii statibus frequentata, hoc pietatis speculum etiamnum totius mundi oculis exponunt, in quibus cum Imperator CAROLUS V. cum fratre Ferdinando Rege sollicitatus à Pontificiis ex odio non tam Vatiniano, quam pene Diabolico erga protestantes, eis praedicatione verbi Dei & concionibus sacris interdiceret, Iohannes Elector ejus interdicto non tantum non acquiescere voluit, pretendens, se non tam posse carere praedicatione verbi divini, quam quotidiano cibo ac potu: sed & sollicitus ad socios principes dixisse fertur; potius se regiones & homines vitam & corpus amissurum, quam passurum, ut sibi verbum Dei eripiatur. O pietatem omni praedicatione majorem! O zelum religionis omnium seculorum memoria dignissimum. Magnum est hoc in Illustri & Principe persona, Auditores, sed longè majus, quod omnibus Christianis, non ad lectionem aut recitationem sed imitationem diligenter fuit annotatum, eum nempe attentissimum fuisse verbi divini & concionum D. Lutheri auditorem, quas ore avidè excepit, exceptas manu propria in codicillos retulit & si quid consolatione plenum & memoria dignum occurrit, in succum & sanguinem suum

Selnecc. in
histor. Au-
gust. Con-
fess.

Manlius
tom. 3. de
studiis.

um singulari animi latitia convertit. Alia memorabilia, qua numero plurima & magnitudine ponderosa passim de eo annotata in historiis leguntur, lubens omitto & consultè prætereo, ne copia dicendorum tedium in auscultando pariat & negotiorum varietas, quæ in ætatem Johannis Electoris inciderunt, à scopo & præsentì materia vos abducatur.

Matrem habuit Elisabetham è serenissima domo Palatina FRIDERICI III. Electoris filiam, cujus vita præsertim conjugalis quid quæso fuit aliud nisi afflictionum & calamitatum officina spatiosissima? quas infracta mente sensit, in patientia pertulit; nisi vastum mare omnibus fortunæ procellis agitatam, variis anxietatum tempestatibus jactatum, quas æquo animo subit & admiranda constantia earum transitum expectavit, & expectando fortiter superavit; nisi schola crucis, in qua igne tribulationis fuit probata, in qua Hiobum ut exercitissimum Doctorem hanc lectionem proponentem audivit: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet; & Aristotelem ut subtilem Philosophum, & rerum naturalium scrutatorem solertissimum interrogatum, quid esset homo? ex veritatis tripode respondentem accepit, imbellicitatis exemplum, temporis spoliolum, fortunæ lusus, imago inconstantie, calamitatis trutina, reliquum pituita & bilis. A bello enim Gothano quod infelicibus auspiciis motum, gestum & confectum fuit, postquam per captivitatem conjugis mellitissimi ab eo in annum sextum avulsa, solitariam in suspiriis & lachrymis vitam egit, valde dubito utrum, cogitatione quis assequi audeat, quantæ anxietates ejus animum distorserint, donec ab Imperatoria Majestate ei copia clementissimè facta est, ut ad eum in custodiam proficisceretur, & ad extremum usq; spiritum ibidem commoraretur: in qua ipsi non tantum semper à latere fuit ad solatium, in solatio ad recreationem, in recreatione ad molestiarum mitigationem, sed etiam in perpetuis vigiliis, in minuendis curis, in leniendis doloribus nihil de

Hiob. 14. v.
1. & 2.

de sua diligentia remisit. Tanta vis est amoris & fidei conjugalis in animis generosis, ut quos semel occupavit, eam nulla calamitates inter suspiria, nullus timor inter pericula, nulla tentationes inter afflictiones, nulla vel carnis vel mundi illecebræ inter voluptates non dicam extinguere, sed ne obnubilare quidem valeant. Cui non admirationi est Φιλοσοφία & amor conjugalis matronarum Illustrium & nobilium in oppido VVeinsberg, in quod Guelfus frater Heinrichi Superbi Saxonix, Bavarix & Austriæ ducis cum ab Imperatore Conrado ejus nominis Tertio Friderici Sueviæ ducis Filio cum universo suo exercitu victus & fugatus esset, se contulerat. Eæ enim cum audirent mandatum hoc ab Imperatore promulgatum, Guelfum cum cæteris equestri ordinis viris capiendum, & captum in custodiam tradendum, oppidum autem militum direptionibus exponendum esse, supplices ab Imperatore petierunt, ut antequam hoc fieret, sibi permitteret emigrationem securam iis cum bonis, quæ illarum unaquæq; auferendo secum posset exportare. Imperatore Conrado pro innata sua clementia petitioni earum annuente, consilium ineunt planè stupendum, moxq; Guelfum ducem, maritosq; suos humeris sublatis & liberos parvos sinu gestantes, non sine insigni spectaculo urbe exportant. At vero tantum absuit ut Illustrissima hæc conjunx, si ejusmodi liberandi suum maritum spes affulsisset, cum Illustribus & nobilibus matronis VVeinsbergenfis certasset, ut potius cum Alcestide Regis Thessaliæ conjugæ, pro salute & redemptione ejus morti se spontè objecisset.

Ab his itaq; majoribus & parentibus, quod IOHANNES CASIMIRUS (IOHANNEM CASIMIRUM cum voco, quicquid est aut majestatis in familia aut dignitatis in persona, aut splendoris in honore, aut integritatis in vita, aut felicitatis in ingenio cum Iohannis Casimiri nomine & notione complector) quod, inquam, per sanguinis participationem & temperamenti communicationem accepit & hausit, id ab ineunte ætate in vitæ progressu usq;

E

ad

Nauclerus
volum. 2.

Euripid. in
Alcestide
Promptuar
Exempl.
præcepto 6.

I. I. Officior

Plutarch.
in Agefilao
& de liber.
educat.Horat. l. 4.
carm. oda.
4.

ad extremum vite terminum ita in eo eluxit, ita mortalium oculos perstrinxit, ut aut à Deo aut à magnorum Heroum profapia accepisse & hausisse videretur. Nam & præclara fuit indole, cui accessit singularis ingenij alacritas, nec ex senectute mens ejus unquam deliquium sensit, sed occasionem prudentiæ & judicij maturitatem reportavit: tum generosam habuit naturam, seu ut Tullius loquitur, animum bene à natura informatum, in quo latentem virtutum igniculi, qui cum ad omnium bonarum rerum studium inflammantur: ideoq; nihil tam arduum nihil tam excelsum fuit, quo non generositatis veluti alis anhelavit, & gloriæ stimulis adactus pervenire laboravit; tandem verò concinnam omnium corporis membrorum formam, seu quod idem, decentem proportionem, in proportione justam staturam, in statura proceritatem convenientem, cui aliquid majestatis & venerationis inesse, credebant orientales olim populi, & inter hos Persæ eam in eligendo Rege strictè observabant, cum Persis Indi colebant, cum Indis Æthiopes in magno precio habebant, cum Æthiopibus Spartani quoq; tanti faciebant, ut Archidamum Regem suum mulctarent, quod uxorem duxisset statura parvam, quæ ipsi non Reges sed Regunculos esset paritura.

Cum verò doctrinam vim promoveat insitam, ut Poeta loquitur, rectèq; cultus pectora roborent, ut primum Princeps noster voces articulatè formare & recto incedere pede cepit, quæ ejus fuerit educatio colligere haud est difficile. Quoniam enim ab ea, ceu fonte & radice honestatis, vita reliqua laudabilis dependet, Praeceptores illi additi sunt, Viri omni eruditionis supellectile instructissimi variarum rerum usu & experientia maximè conspicui, legum & juris utriusq; peritissimi, vitæ integritate & morum gravitate præstantissimi, qui & in aula Illustrissimi Tutoris & hunc temporis harum provinciarum Administratoris & Lipsiæ loco nobili & urbe celebri, atq; ab optimarum artium studiis, à literatissimorum virorum frequentia, ab Academia flore, à negotiationibus

nibus

nibus & publicarum nundinarum fama, à prætorum ibidem proximè ab hinc elapsis annis commissorum magnitudine, in universo terrarum orbe notissimo, hunc suum alumnum ita sibi habuerunt commendatum, ut sua industria ejus mentem pietate imbuerint, vitam gravitate morum & virtutibus tanquam stellulis perpoliverint, linguam eloquentiæ ornamentis tanquam quibusdam insignibus condecorint, iisq; in artibus & studiis erudierint, in quibus Magnatum filij ad laudabilem Reipb. administrationem informantur heroicè exercentur gloriosè. Nec fructu caruit hæc morum & studiorum directio cum in omni vita, sed maximè tamen in regendis subditis & Reipb. gubernatione, quam viginti trium annorum spatio exacto, adit, & ea dexteritate illi præfuit, ut subditorum suorum salutem unicè sibi haberet commendatam. Quamvis enim Reipb. administratione nihil sit quàm labores difficilius, nihil quàm difficultates laboriosius, nihil quàm pericula formidabilius, nihil quàm negotiorum varietatem & rerum, quæ expediendæ, perplexitatem molestius, nihil deniq; quàm lesiones & similitates partim obscuras, partim apertas intolerabilius, ut Demosthenes cum Themistocle concessa opinione inter duas vias, quarum una ad tribunal & amplissimos honores in Republica, altera ad mortem duceret, hanc ad mortem eligere non dubitaret; & Æschines sibi in exilium ejecto plurimum gratularetur & gauderet, quod à Republ. liber esset non secus ac si à cane rabioso liberatus esset: his tamen non obstantibus ex omnibus rebus humanis nihil gloriosius aut præstantius esse duxit, quam bene mereri de patria cujus salutem sibi semper supremam legem esse passus est, sic ut nullum tranquillum atq; ociosum spiritum duceret, aut gravissimas inter occupationes rugas & senium contrahere non recusaret. Quam difficile enim sit, imò ferè impossibile hæc ætate nostra ijs in locis, ubi Mars modò transeundo, modò stabilem sedem sibi figendo vias regias, in viis regiis omnia itinera latronum ac prædatorum cohortibus implet, agros depopulatur, vicos cum pagis, pagos cum oppidis igne & flammis perdit, templa in stabula, aras in præsepia,

baptisteria in lintres & alveos equorum vertit, fortunas incolarum ab hostili expugnatione defendere, ab excursionibus equitatus tueri, & à militum direptionibus sartas tectas servare, vitamq; eorum ab interitu & morte vindicare hospes est in Germania, quem haëtenus experientia de eo non fecit certum imò certissimum. Nihilominus Optimus Princeps noster nihil earum rerum prætermisit, nullis sumptibus, nullis elargitionibus pepercit, quibus onera, qua subditis in ejusmodi militum inquarnisationibus ferenda, vel auferrivél saltem mitigari posse videbantur. Sed missa hæc faciemus, & ea que Illustrissimus Princeps noster in Reipb. gubernatione laudabiliter suscepit, præclare gessit & feliciter absolvit deinceps videbimus. Et religionem quidem orthodoxam, veram ac sinceram, quam materno quasi lacte imbiberat, ab avis & proavis hauserat, in universo navigationis suæ cursu ut actionum regulam, ut consiliorum normam, ut cogitationum & intentionum cordis magistram, ut virtutum omnium facem pio animi Zelo amplexus & veneratus est, quippe cujus mens divino amore, tanquam magne tactus, in verbo Dei omnem oblectationem habuit & in lege ejus meditata est die ac nocte, aliisq; pietatis exercitiis suum indefessum studium manifestavit, assiduas nempe preces ad Deum fundendo, sacris cantionibus vacando, piis concionibus diligenter auscultando. Neq; verbis solum hunc suum amorem sed etiam operibus & factis abundè probavit, quando proximè ab hinc elapsis annis, quibus Antichristus ille Romanus vi & potentia Martis insidiosè & Mars fraude & occultis machinis Antichristi crudeliter, uterq; verò ope & auxilio Diaboli periculosè immanem tyrannidem in Ecclesia exercuit impiè, propter constantem Evangelij confessionem in exilium actos, ceu afflicta Ecclesia membra, fovit, illis suo in territorio hospitium concessit, plures ad Ecclesiasticas aliasq; functiones admovit, multisq; beneficiis affectit. Cogitavit scilicet Princeps religiosissimus cæteras res nec esse atatum omnium, nec omnium temporum, nec omnium locorum. Pietatem vero adolescentiam alere ad sufficientiam salutis, senectutem oblectare

ad

ad certitudinem gratia & remissionis peccatorum, miseris peccatoribus per fugium præbere ad recreationem, in agone mortis constitutis $\Phi\acute{\alpha}\rho\mu\alpha\kappa\omicron\nu$ subministrare ad consolationem, delectare domi ad jucunditatem, ex lectione Bibliorum frequenti hauriendam, foris promovere ad gloriam & existimationem, pernoctare nobiscum ad salutarem animæ quietem, peregrinari ad securitatem, ex Angelorum custodia in viis Domini impetrandam, rusticari ad agrorum fertilitatem & fructuum copiam à Deo expectandam. Persuasum sibi habuit Princeps laudatissimus gloriam hominis Christiani in hoc mundo non esse eam, si quis opibus & divitiis vel ipsum Cræsum superet, aut in omnium rerum abundantia habeat laqueata auro & ebore tecta, strata marmore pavimenta, convestitos purpura parietes, aut terminos ditionis suæ latissime prolatos: non si quis inter mortales floreat generis splendore ut Creops, potentia ut Cyrus, fortuna ut Polycrates, copiis ut Xerxes, victoriis ut Cæsar, triumphis ut Pompejus, eruditione & ingenij subtilitate ut Aristoteles, facundia ut Cicero, eloquentia ut Demosthenes, quæ in mundo suam merentur commendationem, suam in animis legentium & audientium pariunt admirationem, sed in hoc solum gloriandi causam esse certissimam statuit, si quis Deum cognoscat sanctè, cognitum laudet verè, laudatum amet devotè, ac in amore Dei vel in fide cum Abrahamo, vel in pietate cum Davide, vel in patientia cum Iobo, vel in integritate & justitia cum Noah certare queat. Hinc ejus in Ecclesiam & scholas liberalitas & beneficentia, in literas & literatos munificentia, ut ab immortalitatis & oblivionis injuria asseratur, & omnem apud posteritatem literarum lumine accendatur, dignissima. Testes sunt stipendiarij quorum in Theologia, in Jurisprudencia, in Medicina sed imprimis in Philosophia numerum haud perexiguum in Academiis aluit; motus proculdubio exemplo laudabili ERNESTI Saxoniae Ducis, de quo memoriae proditum accepimus, & si quotannis sua è ditione exiguos caperet redditus, eum tamen adeo munificum erga doctos & liberalem erga Musarum alumnos extitisse, ut

E 3

non

Manlius in
collectan.
locor com-
mun. tom.
3. de studiis

non paucos stipendiarios in Academiis sustentaret. Testes sunt duo illa templa Ölfense & Calmbergense non egregiis modo locupletata picturis, sed eo splendore in splendore ea forma, in forma ea distinctione elaborata, ut ars cum materia certare videatur, quæ & impensis haud mediocribus extrui curavit & redditibus ad cultum Deo debitum peragendum auxit liberalissimè. Testis deniq; & instar mille testium est Illustrissimum hoc Athenæum, ab ejus nomine Casimirianum dictum, quod è fundamentis excitavit magnificentissimè, excitatum annuis redditibus dotavit sufficientissimè, dotatam numero docentium ornavit & ornato suam provinciam imò universam Franconiam nobilitavit splendidissimè, ut esset pietatis & veræ ac in verbo Dei fundatæ religionis templum, virtutum & honorum morum domicilium, artium liberalium & linguarum Cardinalium officina, eaq; sanctissima fundatione suæ pietatis & amoris erga Deum odorem in universum terrarum orbem sparsit cum admiratione. Quem enim latet religiosissimum hoc Collegium à primo foundationis momento, usq; ad hoc præsens tempus, quod sane per exiguum & breve est, suum splendorem, cum splendore radios, cum radiis clarissimam lucem in omnes Europæ provincias, ex Europæ provinciis in Asiæ regiones, ex Asiæ regionibus in Africæ civitates & ex his in omnes terræ partes diffudisse ad gloriam, suam faciem in orbis omnes angulos porrexisse ad laudem, ita ut hodiè nullus locus sit in habitabilis, tam ab omnium hominum consortio in terris remotus, quo non illius fama pervaserit: non tam propter ædificij magnificentiam, quæ de fundatoris cujus imago in frontispicio illius, etiam post beatissimum obitum heroicam adhuc in vivis gravitatem, & in heroica gravitate animi magnitudinem representat, quam quod ex eo tanquam ex equo Trojano, in universum evolarint mundum tot Theologi & Doctores Ecclesiæ piissimi, tot Juris consulti celeberrimi, tot Medici peritissimi, tot Philosophi acutissimi, tot Consules & Senatores prudentissimi, tot Judices æquissimi, tot Optimi cives, tot omnium ordinum homines, qui in promovenda Ecclesiæ, Reipublicæ & Patriæ salute & utilitate omnem

navarunt operam. Parietes medius fidius hujus celeberrimi Athenæi cum cathedris, cathedræ cum subselliis, subsellia cum auditoriis suum fundatorem magnificentissimum deplorare & omnia mœstitiæ ac luctus signa præ se ferre videntur. Et hæc pietas amorq; erga Deum & orthodoxam religionem ab ineunte ætate tam altas in animo ejus heroico egit radices, ut multarum maximarum virtutum esset feracissima, quibus inter mortales sic emicuit, inter Principes personas in Imperio Romano sic inclaruit, ut non tam vitæ quam gloriæ curriculum conficere videretur. Inprimis verò justitiæ non modo studiosus, sed propugnator fuit acerrimus, ut qui facile intellexit, ea sublata regnabile esse aliud nisi magna latrocina, provincias nil nisi speluncas furum, oppida, vicos & pagos nil nisi stabula prædonum, scortatorum, homicidarum & aliorum sceleratissimorum hominum: disciplinam in licentiam plusquam barbaricam abire, religionem impietate profanari, cultum Dei superstitione pollui, societatem & amicitiam quam natura cum hominibus peperit, dissolvi, omniaq; Reipb. firmamenta dilabi, dilapsa enervari & enervata prorsus concidere: eaverò florente & primas tenente ad communem felicitatem, quæ est singulorum civium felicitate constat, omnia quasi amicè conspirare, honestatem cum virtutibus, virtutes cum bonis moribus in suo haberi precio; præmia & honores bonis decerni, ignominiam & supplicia malis irrogari. Hinc eam ut fulcrum civitatum tutissimum cum Platone, ut ornamentum virtutum splendidissimum cum Pythagora, ut in choro virtutum pulcherrimam Hespero & Lucifero splendidiorum cum Aristotele, ut Rerumpubl. benè constitutarum animam efficacissimam & legum condendarum regulam certissimam cum Cicerone, pacem populorum, tutamen patriæ, immunitatem plebis, munimentum gentis, curam languorum, gaudium hominum, temperiem aëris, serenitatem maris, terræ fœcunditatem, solatium pauperum, cum Cypriano ad ultimum usq; vivendi terminum amplexus & veneratus est, adeo ut rectè informatus in ea exercenda nec propter grati-

August. l. 2.
de civitat.
DE I. C. 19.

lib. de 12.
abusuionib.

Laërt. lib. 1.
de vitis Philo-
soph. in Solone
ne Salamin.

gratiam & favorem ad cuiusquam voluntatem orationem suam accomodaret, nec quicquam prius aut antiquius veritate haberet, nec in dicenda sententia vel erga delinquentes in puniendo, vel erga bene agentes in remunerando ab æquitatis norma unquam deflecteret. Itaque & leges sua in Repl. voluit promulgari non quæ similes aranearum telis essent, quod Solon querebatur, quæ majusculas vespas dimittunt, minores verò capiunt & captas ad mortem usque detinent, sed quæ ex ipsa naturæ lege expressæ, ad divinas leges examinata, ad justitiæ & æquitatis normam ponderata essent, omnesque pariter vel ad obedientiam vel pœnam, constringerent, nec alium sibi propositum haberent scopum, nisi patriæ salutem, civium honestatem & omnium subditorum utilitatem, ut inter eos animorum consensio ac mutua benevolentia servaretur, & rectæ rationi convenienter in civili societate viveretur: leges, inquam, de quarum sensu & usu interpretationis quantum fieri potest, constaret certitudo, sententiarum æquitas & executionis moderata, severitas, sine quibus cautelis magistratum decreta non amplius sunt leges, sed inania terribilia, ex pelvi fulgura, incolarum & exterorum ludibria, de quibus rectè Poëta:

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?

Horat. lib.
3. carm oda
24.

Eaque propter scabinatum cum dicasterio, ita sibi semper commendatum habuit, ut non facile in eum reciperet, nisi insignes Jurisconsultos & legum interpretes optimos qui ingenij sui acumine quæstiones multis difficultatibus & obscuritatibus involutas facillimè declarant, calumnias ex malitiosa juris interpretatione coortas tollunt, & ad æquitatem omnia referendo, controversias intercipere quam litium actiones constituere malunt. Cumque his ipsis prerogativis & præeminentiis suæ provinciæ singularem se auctoritatem & nominis celebritatem ubique locorum & gentium conciliare animadverteret, illos Juris consultores clementia & favore complexus est, à latere sibi plerumque habuit proximos, ab eorumque consiliis salutaribus ne latum quidem unguem discedere ausus est; imo

quia

quem discedere ausus est; imò quia in adolescentia sua artium ac disciplinarum liberalium succum degustavit, & in ætatis progressu experientia didicit, eas esse πηγὰς τῶν καλῶν fontes bonorum, esse μίαν ἀσφάλειαν τῆς βίης unicum vitæ præsidium, earum cultores nec odio habuit, nec alto supercilio despexit, quod Licinium Licinianum Imperatorem è Dacia oriundum fecisse historiarum monumentis consignatum accepimus, quicum C. Mario à Musis adeò abhorrui, ut nomen suum Imperatoris edictis promulgandis difficulter admodum subscribere posset, & idcirco sibi in æviternam ignominiam symboli loco crebris usurpavit sermonibus, literas esse pestem Reipubl. Verum alius animus, alia sententia, aliud ingenium fuit Illustrissimo IOHANNI CASIMIRO. Hic enim ex frequenti historiarum lætione, ex florentissimorum Imperiorum parvis initiis, admirabili incremento, laudabili gubernatione observavit & ex certissimis observationibus deprehendit verissimum esse illud Platonis: tum demum beatas fore Respubl. si aut sapientes eas regerent, aut qui regnarent, sapientiæ studio omnem navarent operam. Itaq; viros prudentes, inter prudentes literatos, inter literatos sapientes & cum sapientibus omni virtutum laude ornatissimos itineris inter peregrinandum, mensæ inter convivandum & vitæ inter quotidianas occupationes & exercitia heroica comites & ministros sibi adungere solitus est. Neq; solum subditos eorumq; vitam ad leges astrinxit bonas, sed ipse quoq; iisdem se submittere, ad earum præscriptum omnem Respubl. conformare, ad honestatem omnes actiones suas componere sibi honori & ornamento apud posteritatem fore non dubitavit, non ignarus illius Claudiani ad Theodosium Imperatorem:

Non tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat mentemq; domet respectus honesti.

Tyranni leges & statuta in contemptum rapiendo non attendunt, sed omnia suo arbitrato audent & quæ in mentem veniunt, nulla habita ratione justitiæ & equitatis vel ipsi faciunt, vel aliis præcipiunt & executioni mandant: non salutem populi sibi præstitutam

F

habent,

Cræsus apud Xenophon. Memorabilia.

Cicero in orat. pro Archia.

habent, sed suas captant utilitates; non subditorum vitam cum vita facultates ab omni vi & injuria tuentur, sed eorum in sanguinem & fortunas, ceu armati & publici prædones, grassantur; Viros bonos & bene meritos non amant, sed oderunt; non promovent, sed metuunt; non præmiis ornant, sed crudelitatem in eos exercent; non patriam nobilitant aut commodis ac privilegiis augent, sed ejus ornamenta dignitatis & præsidia stabilitatis obscurant & enervant, omniaq; ferro & armis, flammis & igne, terrore & luctu, suspiriis & lachrymis inundant: bene monentibus non aures præbent patulas nec obsequuntur, sed voluntas illis est pro lege, minæ pro ratione, violentia pro equitate, crudelitas pro executione; quæ omnia à nostro Principe fuisse alienissima testantur tot lachrymæ post obitum pro eo effusæ, testantur tot ac tantæ subditorum querelæ, cum anxio eorum desiderio, testatur communis totius provincie luctus & dolor. Prolixior sum, Auditores lectissimi, quam ut loci hujus fert consuetudo & vestra in auscultando patientia permittit: itaq; paucissimis eas delibabo virtutes, quæ silentio involvi nequeunt & inde ad portum me recipiens succincta brevitate tedium, si quod forsitan vobis oboriri potest, recompensabo. In aulis principum plerisq; non modo in Germania sed universo prope terrarum orbe inter alia vitia gulam, ingluviem, belluationem & ebrietatem grassari, nemo est qui ignorat. Hic enim in depravato commessationum usu & foedissimis luxurie sordibus vivere usq; ad ebrietatem gravitatis est; fauces vino & cerevisia eluere usq; ad stultitiam, hilaritatis; pocula evacuando iterare usq; ad insaniam magnæ omnino potentie, adeo verum est, quod legatus ille de aulica vita dicere non fuit veritus:

Arce sedet Bacchus friget contemptus Apollo

Hic nihil est aliud vivere, quàm bibere.

Neq; hodiè demum in usu esse cepit, sed apud veteres hæc inolevit consuetudo & cum sanguinis profusione, homicidiis impietate aliisq; malis in omnem propagata posteritatem. Alexander

Magnus convocatis aliquando multis amicorum & ducum certamen

Plutarch.
in vita Ales-
xandri. A-

men bibendi instituit, proposito premio & decreta corona ei, qui cæteros omnes in evacuandis poculis esset superaturus. Illud vero victoria premium cessit Promacho, qui strenuè potando & ingurgitando quatuor choas exhausit, iisq; exhaustis elapso triduo cum quadraginta & uno potatoribus fœdissimam exhalavit animam. Prisci olim Reges in amicitiam neminem facile receperunt, nisi cuius animum cum ingenio & moribus inter pocula explorassent.

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus?

At verò hæc ἀσωτία Principi nostro laudatissimo fudes semper fuit in oculis, nihilq; minoris fecit quam immoderatas corporis voluptates vel ideò, quod illæ cum heroica animi magnitudine consistere aut una in sede morari nequaquam queant, ut quæ generositatis scintillas planè extinguunt, mentem de sede & statu suo deturbant, omnem virtutis curam ex animo eijciunt, consilium impediunt, prudentiam tollunt, fortitudinem languesciunt, justitiam corrumpunt, omnem humanitatem in barbariem turpiter convertunt. Hinc ejus in ætate ingravescente & senili corpore invariata constitutio, nec ab iis illud infestatum est incommodis, quæ senes aliàs circumvenire solent, sed solido steterunt robore nervi, vires manserunt integræ sanguis incorruptus, memoria tenax, ratio firma, sensus acuti & ut paucis omnia comprehendam, mens sana permansit in corpore sano, usq; ad eum morbum, qui mortis imminentis certum erat presagium, cujus vitæ periodo si DEUS OPT. MAX. pro ineffabili sua bonitate & clementia ad patriæ vota, ad Reipubl. suspiria, ad subditorum desideria, ad incolarum vociferationes, ad exterorum suffragia spaciū decem annorum & paululum ultra adijcere voluisset, parum abfuisset, quin cum Calebo exclamare potuisset: Ecce octuaginta annorum sum, sic valens ut eo valebam tempore quando Rem cæpi capessere publicam. Itaq; ut ille continentiam amavit, continen-

thenæus l.
10. c. 12.

Horat. in
arte poët.

Jos. 14. v. 11

Plutarch.
in morali-
bus.

Ælian. lib.
1. variar.
histor. c. 32.

Manlius in
collect.
tom. 2. præ-
cepto 7.

tinenter & sobriè vitam egit suam, nec ab ullis se voluptatibus su-
perari est passus: ita eos quoque, qui effrenatis temperantiæ repagu-
lis & excussa rationis habena ventrem suum pro DEO colunt &
Bacchanalia semper vivunt sua ab aula procul esse voluit, ne alios
voluptatum blandimentis inescerent & secum in castra Epicureo-
rum traherent. De liberalitate ejus, de beneficentia, de hospitali-
tate dicturus vereor, ne mihi usu veniat quod Sophistæ illi, cui
splendido verborum apparatu encomium Herculis commemora-
turo, Antaleidas Spartanus objecit, quis verò illum vituperat?
ejus commendationem superfluum fore existimans, qui omnium
suffragio alias esset laudatissimus: Ita in harum virtutum laudes,
quibus Princeps noster adhuc superstes excellit, si vellem excur-
rere, & dictionis meæ filum latius protrahere, vereor, inquam,
ne multi tacitam animo secum volvant cogitationem. Quis verò
dubitavit unquam, & aut non re ipsa est expertus, aut ab iis qui
experti famam non accepit. Inter aulicos ministros quotusquisque
tandem est, qui non auream sibi polliceatur messem, & simul ac
obire munus cœperit in aula, cum ante vix panem haberet atrum,
quem ex jure hesterno deglutire poterat, ilico de victu lautiori,
de amictu splendidiori cogitat, suamque inopiam Principis liberali-
tate, suam indigentiam ipsius aulae abundantia supplere quotidie
intendit, & felè Tartessia se rapaciorum esse demonstrat? Multi
magnatum ingenis versute nimis se accommodare norunt, offe-
rentes illis munera exotica, vel à natura producta speciosè vel ab
arte elaborata insigniter, sed ob novitatem & raritatem commen-
dationis & admirationis plena; & sic cum Persico illo homine uno
aquæ haustu questum faciunt immensum. Nec est quod Princi-
pum autoritatem magis evilesceat facit, eosque in contemptum tam
apud exteros & peregrinos quam subditos & incolas adducit, quam
si $\mu\iota\kappa\rho\gamma\pi\tau\epsilon\pi\omega\varsigma$ suis in aulis omnia dirigi, dispensari & admini-
strari volunt, & Episcopo illi similes sunt, qui inter equitandum
pluvia decidente pileum sub pallio occultare solebat, ne madefie-
ret,

ret, & aureis pomis donatus ea iterum vendere, ut aliquid pecunie inde colligeret & lucraretur: aut Sergio Galbæ Imperatori, qui dispensatori breviarum rationum exhibuit & paropsidem leguminis plenam pro fide rependi iussit; aut deniq; cum Flavio Vespasiano odorem lucri ex re qualibet sibi bonum esse patiuntur. Eiusmodi enim Φειδολοι & γλιχθοι, quos vocat Philosophus, quid sunt aliud nisi ad vitium expressa Plutonis mancipia digniora ut Anticyras ablegentur, quam ad Reipubl. gubernacula admoveantur, ut in extremos Iberiæ fines & ultra columnas ab Hercule fixas deportentur, quam ad fasces Imperij admittantur, in quorum ditionibus virtus non tam invidia quam paupertate premitur, & pressa relegatur. Verum quod de Otthomanno I. Imperatore Tutico Iovius memoria prodidit, id ipsum citra adulationis susceptionem de piè defuncto nostro principe affirmare licet, eum pro comite perpetuo habuisse liberalitatem, qua virtute vivaciorem nullam Princeps habere potest, ut magnus atq; adeo immortalis cito efficiatur. Tot enim ac tanta beneficentia ejus extant monumenta, ut citius me dies deficeret quam oratio, si omnia & singula vellem non oratoriis concinnis exornare ad placitum, sed brevi adumbrare penicillo ad necessitatem & sic adumbrata ob oculos vobis ponere. Quis mihi persuadeat, totum hoc auditorium comprehensurum eos exules, & inter exules Pastores cum ludimagistris, qui his in Bohemiæ & Germaniæ funestissimis cladibus ad ejus aulam ceu sacram ad anchoram supplices confugerunt, stipem humilimè petierunt, viaticum subjèctissimè desiderarunt, & desideratum ad mandatum ejus clementissimum opinione citius obtinuerunt & spe largiùs acceperunt. Non attingam hac vice carmina, disputationes, gratulationes, conciones, aliq; præclara ingenij monumenta à literatis diligentissimè elaborata & ejus Celsitudini subjèctissimè dedicata, quæ ex singulari erga literas & Musarum alumnos amore, non modo serena fronte accepit & pro materia rerumq; contentarum qualitate iis delectatus est, sed etiam amplissimis muneribus & præmiis pro ratione personarum semper

Suetonius.

cohoneſtavit & liberaliter remuneratus eſt. De amore ejus erga ſubditos non prolixum inſtituam ſermonem, ſed amorem ſubditorum erga eum ceu teſtem omni exceptione majorem laudo citog, ex quo qui inſallibile ſignum capere nequit, eum oportet nihil vel ſapientiae habere vel ſanctitatis. Quem enim quaero vel inter conſanguineos in adibus patriis, vel inter cognatos & agnatos in familia noſtra poſt obitum uberrimis profuſis lachrymis deploramus? quem magno cum gemitu & planctu lugemus? certe non eum, qui omnem pietatis & virtutis curam ex animo ejecit, omnis generis injuriis, calamitatibus & oneribus nos preſſit, aut vitam plusquam beluina in turpiſſima voluptatum colluvione traduxit vivus; ſed qui amore & benevolentia nos proſecutus eſt multisq, beneficiis ſibi devinxit, imò cujus vel conſuetudine familiariter, vel ſermone ſuaviter, vel converſatione libenter, vel hortatione amicè uſi ſumus. Quanto magis ergò Principem noſtrum ſubditos ſuos amaviſſe & benevolentia ac favore complexum fuiſſe arbitramini, pro quo unus quiſq, eorum vitam & ſanguinem proſundere non veritus eſſet. Predicantibus aliquando Principibus Imperij præcipua ſuarum ditionum ornamenta: Palatino quidem vini copiam, Saxeone argenti vim ex fodinis metallicis aliis alia, Eberhardus Barbatuſ Dux VVirtembergentiſ & Teccenſiſ nihil eſt, inquit, de quo magnopere gloriuſ, niſi unicum, cujus cauſa beatum me judico, quod totuſ in gremio cujuſq, ſubditorum meorum dormire poſſim. De eodem gloriari potuiſſe Iohannem Caſimirum adhuc ſuperſtitem quiſ dubitat? qui calamitatem ſuorum ſubditorum ſuam, calamitatem, eorum ſalutem ſuam ſalutem, eorum divitias & abundantiam, ſuas divitias & abundantiam eſſe revera exiſtimavit; nec facile eſt creditu, quantum doloriſ & melancholia ei horum temporum peperit infelicitas, quâ propter Martiſ vim & impetum ſuos ſubditos nec contributionibus numeroſiſ ſublevare, nec oneribus & ſervitiis militaribus liberare, nec ubiq, locorum ſuo interritorio à discrimine vitæ & fortunaruſ ſalvare & tutari potuit.

Manlius in
 collectan.
 loco de Ma-
 gistratu
 Dreſſ. p. 4.
 Millenar.

potuit. Hinc ergo meridiana luce evadit clarius, quam sitientissimus pacis fuerit & concordie, qua parva res crescunt, contra vero discordia maxima dilabuntur, quod praeter commemorata suo Germanico symbolo, quod cum Fratre exoptatissimo habuit commune Friederich I. Unfried verzebrt toti mundo testatum fecit. Exemplis enim edoctum experientia multis ante mortem annis continuis certiore fecit, quam funesta malorum & publicorum & privatorum idea sit bellum, in quo nihil aliud videre licet nisi vaginas gladio vacuas, urbium devastiones, templorum everfiones, scholarum dissipationes, hominum innocentium caedes, villarum incendia & ut omnia verbo complectar abominationem desolationis; in quo nihil audire licet, nisi armorum tinnitum, minas hostium, clamorem militum, tormentorum fragorem, lamenta mulierum, ejulatus puerorum, morientium gemitus, tubarum clangorem, buccinarum sonitum, equorum hinnitum, equitum strepitum, calorum vociferationes, lenarum blasphemias & Sacramentorum myriadas; in quo Mars nihil aliud molitur, nisi ut religio opprimatur, rerum dominia mutantur, honestissime familiae extinguantur, libertas cum privilegiis, privilegia cum immunitatibus, immunitates cum ornamentis dignitatis, ornamenta dignitatis cum praesidiis stabilitatis obscurentur, enerventur & annihilentur, adeo verum est quod Poeta dixit: Nulla salus bello pacem te poscimus omnes. Contra vero quam dulce nomen sit pacis, res autem ipsa cum jucunda tum salutaris, qua non modo ea, quibus natura sensum dedit, sed etiam & agri letari videntur. Quoties igitur in frequentibus votis eum habuisse putatis, ut gladij omnes cum scutis, scuta cum galeis, galeae cum hastis, hastae cum clypeis, clypei cum bipennibus, bipennes cum tormentis aut rubigine exederentur, aut in ligones, falces, bipalia & vomeres conflarentur, & ne nomina quidem belli tumultuum, dissensionum incolis ac subditis essent cognita. Tot itaque ac tantae virtutes ortum ejus, generisque dignitatem illustrarunt, vitam ejus ceu stellulis illuminarunt, ejus administrationem Reipubl. ceu ornamentis nobilitarunt, ejus heroi-

cam

Virgil. lib.
ii. Aeneid.

cam autoritatem ceu firmamentis stabiliverunt, eumq; Imperatoribus, Regibus & Germania proceribus commendabilem, Saxonica familia exoptatum, exteris & vicinis acceptum, Fratri Germano Illustrissimo carissimum & amabilissimum reddiderunt, cum quo etiam omnem per etatem conjunctissime vixit, ita ut una anima in duobus corporibus habitare videretur.

Confutatio

Hic vero obloquentes mihi audire videor e vulgo, quod habet caput, cerebro vacuum, aut belua multorum est capitum, eos, qui iniqui rerum aestimatores impudenti ore blaterant, nostrum Principem laudatissimum venationis studio nonnihil tenacius indulgisse, quam subditorum ferre potuit angustia & difficultas; tum vero locū non semper habuisse illud Tiberii decantatum symbolum: Boni Pastoris est tondere pecus non deglubere; quae duo tamen tantum momenti non sunt, ut proluxa indigeant refutatione. Taxant ejusmodi terrae filij in nostro Principe, quod commune omnibus Principibus est & magnatibus, quod omnia divina & humana jura approbant, stabiliunt, illis concedunt & permittunt; culpant temere, quod sapientissimi quig; in laude posuerunt & commendarunt: Venatio quadruipedum optimum exercitium est ei, quem Cicero Philosophorum Principem semper judicavit; improbant incaute, quod ad tuendam sanitatem, ad relaxandos animos, ad minuendas curas salubre est remedium, adeo ut Marcus Aurelius Antoninus Philosophus Imperator ille laudatissimus venationi vacaret, quoties à gravioribus curis animum suum remittere volebat. Et cui queso subditorum vel molesta vel odiosa potest esse Principum venatio, si ea suscipitur absq; prophanatione cultus divini in timore Domini, si instituitur ad animi recreationem, non neglectis & sepositis Reipubl. negotiis necessariis, si exercetur ad propulsanda pericula & damna, quae per multiplicationem ferarum noxiarum subditorum agris & fundis impendere solent, si continuatur absq; agricultura impedimento, nec occasionem praebet rixis, seditionibus & bellis cum vicinis. Neq; paterna Principum affectioni erga suos
subdi.

Plato lib. 7
de Republ.

Julius Capitolin.
in vita Marci
Antonini
Philosophi

subditos quicquam derogat, aut clementiam eorum suspectam facit venatorum erga subditos inter venandum austeritas, in austeritate morositas, in morositate violentia, in violentia crudelitas, in crudelitate inhumanitas, qua insciis & invitis Dominis, sepe onera viribus majora illis imponunt & imposita sub comminatione fustigationis, incarcerationis, exilij, supplicij, aliarumque atrocissimarum pœnarum instar tortorum & tyrannorum acerrimè urgent. Ecquem verò Clientium hodiè putatis esse, qui non in votis & precibus anxie habeat Principem nostrum benignissimum adhuc superstitem, ut unico die in septimana suo è tugurio ad præstanda in venatione servitia salvus, incolumis & securus egredi & domum redire queat, quam ut eodem jampiè defuncto cum uxore & liberis totaque familia famelicus & extrema in paupertate propter quotidianas hostium vicinorum irruptiones, excursiones, expilationes & depredationes in exilio oberrare & incertis sedibus vagari cogatur, adeò verum est, quod dixit Comicus. Tum deniq; omnes nostra intelligimus bona, cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus & cum Comico verissimè scripsit lyricus:

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi:

Onera publica quod spectat, nostrum & omnes bonos Principes facile excusat presentium temporum infelicitas & calamitas in universa Germania, quibus inter arma leges silent, immunitates cum privilegiis jacent sepultæ, forum obmutescit & vi geruntur omnia. Quamvis enim non minus verum sit quam redditum ex tripode Apollinis oraculum; Nulli Principum licere vel unum obulum à subditis invitis exigere præter ordinarias pensiones; aliud tamen belli tempore suadet honestas, aliud præcipit utilitas, aliud extrema efflagitat necessitas. Si quæ igitur contributiones sunt indictæ, si quæ onera subditis imposita, id salutis publicæ causa proculdubio factum est, præsertim his in Germaniæ motibus & periculis, ad quæ si inermes planè & imparati simus, longè maximas

G

cla.

Plaut. in
capt.Horat. lib.
3. carm.
oda. 24.

Gigas de
crimine læ-
sæ majesta-
tis quæ 36.
num. 2.

Jerem. c. 5.
v. 25. ibid. v.
15. 16. 17.

clades accipere facile possumus. Neg, verò mihi persuadere pati-
or subditos in ferendis oneribus tantum sentire doloris & impati-
entia, quantum plerunq, boni Principes capiunt melancholia &
tristitia in iisdem imponendis. Interim meminisse nos oportet,
subditorum esse, si Principis & Reipubl. salus periclitetur, prompto
animo sua deferre servitia & non tantum quicquid habent num-
morum impendere, sed etiam vitam & sanguinem suum profunde-
re, adeo ut censum & tributum solvere deuegantem in contem-
tum Principis incidere in crimen læsæ majestatis cum Politicis pro-
rato habeant Jureconsulti. In summanec Principibus nec Magi-
stratibus succensere debent subditi, sed recordari suorum peccato-
rum, scelerum & flagitiorum, propter quæ Deus justissimus vin-
dex, seditionibus, bellis, agrorum & annonæ sterilitate aliisq, in-
numeris malis omnem involvit patriam, ex quibus è vestigio pres-
suræ pauperum & onera subditorum sequuntur. Ille enim est,
qui per Prophetam ita nos alloquitur: Peccata vestra prohibe-
runt bonum à vobis. Ille est qui per eundem his comminatur
verbis: Ego adducam super vos gentem de longinquo, gen-
tem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis
linguam nec intelliges, quid loquatur, phaterra ejus quasi
sepulchrum patens, universi fortes. Et comedet segetes tuas
& panem tuum, devorabit filios tuos & filias tuas: comedet
gregem tuum & armenta tua: & comedet vineam tuam &
ficum tuum & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu ha-
bes fiduciam gladio. Sed de his quoq, satis, quibus si pauca
admodum de conjugio & morte adjecero concludam & finem di-
cendi faciam.

Cum itaq, Dux IOHANNES CASIMIRUS in etate perfe-
ctæ judicij maturitatem assecutus, Reipubl. gubernationi præficien-
dus esset, suasu Illustrissimorum parentum de vitæ socia sibi prospice-
cere cogitavit. Itaq, ex Serenissimi Principis ac Electoris Saxo-
niæ Augusti prognatam filiam ANNAM Principem natalium
splen-

spendore, nobilitate, fortunis, etate, forma corporis, quae in contrahendo matrimonio spectare moris est, Mariti sui planè similem sibi delegit; Et circa exitum anni 85. supra millesimum quingentesimum matrimonio sibi junxit, sed ex ea sobolem nullam suscepit. Soluta hoc matrimonio ad secunda transiit vota, Et Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. VVilhelmi Ducis Brunsvicensis & Lunæburgensis Filiam, MARGARETHAM jam viduam modestissimam, conjugem duxit, cum eaq; itidem in sterili quidem sed exoptatissimo Et suavissimo vixit conjugio. Unde quò suavior fuit vita socialis, eò acerbior est dolor Et in viduitate vita solitaria, juxta illud Poëtæ distichon verissimum:

*Non dolor est major, quam cum violentia mortis
Vnanimi solvit corda ligata fide.*

Quamvis verò bona Et valida complexione esset Princeps noster beatissimus, viribusq; tam vegetis, etiam in prægrandi etate, ut multis adhuc annis à morte abesse videretur: ea tamen virium integritas Et invariata corporis habitudo, nec mortem retardare, nec morbos fugare aliisq; infirmitatibus eum liberare potuit. Postquam enim anno præterlapso in dextro crure dolores sensit patientissimus, eos tamen ceu prodromos Et præcursores imminentis mortis non agnovit, eousq; donec octavo Maij propter concurrentia alia symptomata lecto tandem affixus decumbere cœpit, quæ Et dolores illos auxerunt Et spem recuperandæ sanitatis minuerunt. Itaq; ante omnia sollicitus de cura Et salute animæ cœlesti viaticum quesivit Et quesitum invenit, quando nempe seria peccatorum confessione deposita Et eorundem gratuita absolutione impetrata corporis Et sanguinis Christi factus est particeps. Quo factò in vera Christi agnitione Et invocatione piis precibus, suspiriis Et meditationibus ad appropinquantem vitæ terminum se preparavit. Sed ecce cœlestis noster Medicus, qui sauciat Et sanat, vulnerat Et medetur præter omnium expectationem adhibitis saluberrimis remediis ita benedixit, ut spes convalescendi affulgeret, quæ tamen

paulò post in desperationem de vita diuturniore cessit, dum nimirum 6. Julij maligna febris accessit, quæ totius nature alterationem secum attulit, viribus corpus enervavit, appetitum edendi & bibendi in fastidium convertit, donec tandem ex catharro suffocati vò lingua sensim & sensim deficere cœpit, sensus magis magisque obstupuerunt, ac inter preces & lacrymas astantium anima ipsius beatissima vinculis soluta corporis ad æterna beatorum gaudia triumphans evolavit, 16. Julij post secundam pomeridianam cum in vitæ suæ curriculo complevisset annos sexaginta novem, mensem unum, cum quatuor diebus.

Epilogus.

1. Joh. 2.16.

O mortem placidam & beatam per quam transit Princeps noster optimus de peregrinatione ad quietem, de periculis ad securitatem, de bello & tumultibus ad pacem, de tenebris ad lucem, de nube ad serenitatem, de labore ad refrigerium, de exilio hujus mundi ad cœlestem ac æternum permanentem patriam. O vero nos miseros & infelices, qui in ejus reservatis sumus obitum & abitum. Ecce enim valedixit mundo, valedixit in mundo, valedixit nobis. Quid verò hodiè est mundus? stabulum latronum, homicidarum, prædonum, furum, scortatorum, adulterorum, aliorumque sceleratissimorum hominum, & ut uno dicam verbo, hospitium est, sed in quo hospes est ipse Diabolus. Quid est in mundo? perpetua militia, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Quid nos sumus in mundo? Exules, peregrini, omnibus fortune telis expositi, omnium hostium insidiis obnoxij, variis miseriis & ærumnis subiecti, multis molestiis & anxietatibus involuti, adeò ut querenti utrum sit melius aut non in bos scopulos vitæ incidere, aut mox in fasciis ipsis à tam laboriosa vitæ functione dimitti & tanquam ex incendio violentiam fortune effugere, difficile sit respondere. Ad Dominum ergo qui nobis hoc vulnus inflixit supplices confugiamus, & corda cum manibus in cælos levemus, dicentes: Nos iniquè egimus & ingratitude nostra ejusmodi malis patriam implevimus, nos rei sumus hujus

mor-

mortis & ad iram nostris prevaricationibus te provocavimus. Tu vero es qui inflicto vulnus curare potes, tu ad inferos ducis & reducis: tu spes nostra & refugium nostrum. Tu vero es qui inflicto vulnus curare potes, tu ad inferos ducis & reducis: tu spes nostra & refugium nostrum. Tu ergo nostri miserere, & Illustrissimum ac Celsissimum Principem ac Dominum, Dn. IOHANNEM ERNESTUM Ducem Saxoniae, Iuliae, Cliviae ac Montium, Landgravium Thuringiae, Marchionem Misniae, comitem de Marca & Ravenspurgo, Dynastam in Ravenstein Dominum nostrum clementissimum oculis misericordiae tuae clementer respice, largire ejus Celsitudini mentem sanam in corpore sano, & ad nostravota, suspiria & preces ejus vitae ut Ezechiae Regis Israelitarum religiosissimi tria solum lustra benignissime superadde, quem omnes subditi ad multa secula, imò ad ipsam immortalitatem provocant, ut ejus sub tutela quietam & tranquillam vitam traducere queamus in omni pietate & honestate; largire ei spiritum potentiae & fortitudinis, spiritum gratiae ac precum, spiritum veritatis & sapientiae, rege omnia consilia ipsius, dirige omnes conatus & prospero auspicio provehe, successus felices concede quae molitur, exitu optato conclude quae tractat universa: Inprimis vero effice, ut in his bellorum tumultibus & Satanae furoribus lux doctrinae caelestis semel inter nos accensa, non modo non extinguatur aut ab haereticorum corruptelis obscuretur, sed etiam radios suos in nos & omnem posteritatem clarissime spargat propter nominis tui laudem & gloriam sempiternam: sic celebrabimus nomen tuum & cantabimus invicem, letabimur cum omnibus qui expectant beatam spem & adventum tuum ex hoc nunc & usq; in seculum seculi.

G 3

ΠΑ-

ΠΑΡΩΔΙΑ FUNEBRIS

E LIBRO III. CARMINUM HO-

RATII ODA III.

*Beatissimis Manibus.*ILLUSTRISSIMI ET CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DN. JOHAN-

NIS CASIMIRI, DUCIS SAXONIÆ, IULIÆ, CLIVIÆ

AC MONTANIÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ, MAR-

-CHIONIS MISNIÆ, COMITIS DE MARCA ET RA-

VENSPURGO, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN DO-

MINI NOSTRI QUONDAM CLEMEN-

TISSIMI, *ὄντιν ἀγίας.**Qui**Exactâ vivendi periodo, cursuq; naviga-**tionis suæ in hoc turbulento mundi salo absoluto, non sine**totius provincie luctu hac ætate Martiali, die 16. Julij Anno pro-**ximè præterlapso M. DC. XXXIII. post secundam pomeridia-**nam in Christo Redemptore suo placidè obdormivit & extre-**mum spiritum edidit ANNO ÆTATIS SUÆ**LXX.**Subjectissimo συμπαιδείας affectu elaborata**à**M. Andrea Frommann Directore & Professore**Publico.***V**erum colentem cordicitus Deum,

Non grex malorum prava jubentium,

Non vana mundi fraudulentum

Gaudia non Sathanæ tyrannis;

Non

Non dura crux, non anxietas, neque
Divellit à Christo violentia;

Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae.

Hâc arte Princeps JAN CASIMIRIUS
Innixus, arces attigit igneas;

Nunc inter electos beatus
Lætitiâ fruitur perenni.

Hâc Patriarchæ, vaticicis viris,
Sanctis & olim regibus omnibus,

Vitæ peractis his diebus,
Coelica innox tenuere regna.

Læsus nefandis omnipotens DEUS
Mortalium factis citò perdidit.

Viventium terrarum in orbe
Omne genus pluviis aquarum.

In pulverem vertit Sodomam quoque
Flammis olympo sulphureis, viam

Trivere quod Lotho rejecto
Impietatis, iniquitatis.

In flore jam nec seditiosa que
Gens est Ebræorum, Solymæ sua

Nec dignitas stat bellicosus
Facta Quiritibus est rapina:

Totam occupatam seditionibus
Delevit urbem cum grege militum,

Turres adæquavit præaltas
Atque solo Titus Imperator

Quot

Quot peste quasò millia, quot fame
 Mucrone quot ferri ceciderê, quot
 Immanibusque objecta Romæ
 Dilanianda feris fuerunt.
 Contemptui verbi DEUS in sacris
 Passim minatur talia, civibus
 Et multa neglectus colonis
 Ille dedit mala luctuosis.
 Annis abhinc Germania plurimis
 Pacem duello miscuit. O pudor!
 O JOVA clemens! nunc Coburgum
 Patria non procul à ruina.
 Fœcunda culpæ nam fuit hæctenus,
 Ac inquinavit post genus & domos
 Hoc fonte derivata clades
 In patriam populumq; fluxit.
 Lumen reliquit JAN CASIMIRIUS
 Vitale Princeps & patriæ pater
 Turbatur agris nunc ubique
 Usque ad eò furibundus & Mars.
 Horrenda latè nomen in ultimas
 Extendat oras, qua medius liquor
 Secernit Europen ab Afro
 Qua tumidus, rigat arva Nilus.
 Quicumq; mundo terminus obtitit
 Hunc tangat armis, visere gestiens
 Qua parte debacchentur ignes
 Qua nebulæ, pluvii que rores.

Ger.

Germaniæ verum populis palàm
 Hac lege dico, nî resipiscere
 Lucemque maturè relictis
 Quærere discupiant tenebris;
 Ultore Jovâ judicium sibi
 Mox attrahent certè intolerabile,
 Culpâ & suâ incurrent easdem
 Cum Sodoma Solymaq; pœnas.
 Res ipsa sed quod clariùs indicat,
 Ætas parentum peior avis, tulit
 Nos nequiores, mox daturos
 Progeniem vitiosiore.

ELEGIA THRENELOGICA

ab eodem.

Tympana nunc sileant, sileat taratantara in aula
 Organa nunc sileant, nunc sileantq; fides.
 Nunc cessent choreæ, fidicen, tibicen & omnis,
 Tibia nunc sileat, fistula nunc taceat.
 Bacchus ab urbe migret, discedat fœda voluptas
 Cum lachrymis luctus regnet ubiq; dolor.
 Mortuus est etenim Dux Illustrissimus eheu!
 Saxonie Senior JAN CASIMIRUS; at ô
 Sancte Deus! queso quis Princeps qualis & heros,
 Cultus divini & religionis amans.
 Cui curæ cordiq; fuit meditatio verbi,
 Quod superat precio cuncta metalla suo.
 Sedulus in precibus, constans pietatis amator
 Et vero coluit cordis honore Deum.

H

Ac

Ac ut posteritas testes pietatis haberet
 Ejus & exemplar templa scholamq; novam,
 Fundamentis extruxit splendide & auxit,
 Dotavitq; simul sumtibus innumeris,
 Ecquis Athenæum non admiretur in orbe?
 Et propter famam tollat ad astra suam,
 Patria gaudet eo, gaudet Franconia tota,
 Musarum quivis gaudet alumnus eo.
 Ingenium superant fructus, sermone nec omnes
 Quos profert, possum commemorare brevi.
 O augusta domus fulgente perennior ære,
 Regali altior en pyramidumque situ.
 Quam non imber edax, aquilo non diruet horrens
 Seclorum haud series, temporis haudque fuga,
 Stat fundatori per quam sua gloria in ævum,
 Illum pro merito Musa morique vetat.
 Nec minor illorum subit admiratio mentes,
 Qui figunt oculos in duo templa suos
 Calmbergense Deo simul ac Æslense dicata,
 Ejus ibi ut verbi buccina sacra sonet.
 Ornavit porrò vitam virtutibus ejus
 Præclaris ardens hic pietatis amor.
 Justitiæ custos, ac servantissimus æqui
 Et vindex scelerum, cuiq; suum tribuens.
 Qui fora constituit, qui dicasteria, sanis
 Ut quoque consiliis esset in urbe locus.
 Hinc magnificat consultos juris & æqui, &
 In precio est solitus semper habere suo.

Quin

Quin & e. omnes pariter complexus amore
 Eloquium quorum Roma polita probat.
 Qui junxere simul studium virtutis & artis
 Sunt pars Pierio & non malè nota choro.
 Splendorem generis Deus & natura benignè
 Dotibus ornarunt corporis ac animæ
 Quas non luxuria non ebrietate furente
 In terris homines, quæ vetat esse senes,
 Obscuravit, at ingenij auxit acumine semper
 Et curâ vigili nobilitavit eas.
 Ille voluptates odit cane pejus & angue
 Illicitas, quæ sunt fons & origo mali.
 Corporis hinc solido steterunt ætate senili
 O donum magnum, robore membra, Dei!
 Pacis amans, pacis quænam sint commoda novit
 Hanc nutrire suo symbolo & edocuit.
 Belli osor, belli quæ sint incommoda novit
 Hoc vastare suo symbolo & edocuit.
 Bos etenim tutus mox cuncta perambulat arva
 Pax constanter ubi & floret amica quies.
 Nutrit rura Ceres, currit per saxa per ignes
 Mercator, volitat per mare nauta ferum.
 Integritas metuit culpari, nil geritur vi,
 Nullis polluitur casta domusq; stupris.
 Inter & arma silent leges, cum legibus omnis
 Exulat hinc pietas, exulat atq; pudor.
 Omnia vastantur, perduntur & oppida flammis,
 Cædibus implentur cuncta, cruore madent.

Σύμβολον ἐστὶ ἀδεὸν verum, concordia firma
 Res auget parvas amplificatq; citò.
 Dissipat & contrà magnas discordia præceptis,
 Reddigit in nihilum & maxima quæq; brevi.
 Commemorem quid de reliquis virtutibus inter
 Cives quæis micuit non sine laude suos:
 In firmamento sicut splendore coruscat
 Sol rutilans inter sidera cuncta suo.
 Erga subjectos affectu sæpe probavit
 Id verum, sapiens quod Xenophon statuit:
 A patre nil differre bono, quem Principem in orbe
 Esse Deus voluit, qui sine fine regit.
 Nempe suos semper complexus amore paterno,
 Extremum vitæ terminum ad usq; sua.
 Adversos casus illorum pertulit ægro
 Sæpè animo, quoties impetus atq; furor
 Martis eos torsit, pressit, spoliavit, & omnes
 Spiravit vitæ corporis atq; minas.
 At quæ non potuit Martis pulsare pericla,
 Aut mala fortune sustinuit patiens.
 Nec cum Cæsareus nuper circumdaret urbem
 Miles, & injecto civibus inde metu,
 Magnifica ex aula post tot spolia ampla referret
 Quot certè est ausus fingere nemo sibi:
 Argentum, gemmas, aurum cum vestibus arma,
 Thesaurum Regis, quæ superare queunt.
 Ullum conspectum fuit impatientiæ in illo
 Signum, pacato sed tulit hæc animo

Sicut

*Sicut & in morbo mortisq; doloribus aquam
 Servavit mentem, cum precibus variis.
 Nempè suo facto quod in ore frequenter habebat,
 Σύμβολον explevit non dubitante fide;
 Quem penes est virtus non seva procella malorum
 & Anxietas illi cruxve nocere potest.
 Sic ergò cunctos prostravit fortiter hostes
 In Christo verà mortuus inq; fide.
 Vera fides sanctis certa est victoria mundi,
 Inferni, carnis, Dæmonis atq; mali.
 Per varios casus per mille pericula vitæ
 Tendit ad ætheriæ regna beata domus.
 Ex merito Christi tibi nunc Celsissime Princeps
 Victori gratis grata corona datur.
 Grata corona datur, cælestis gaudia vitæ
 Percipit ille, cui grata corona datur.
 Inter sidereos proceres sanctumq; senatum
 Aspectu fruere colloquioq; Dei.
 At nos in terris jactamur turbine fati
 Adversi & gravibus sors premit atra malis.
 In patria nostra nihil est nisi Martis imago
 Funesti, flammis perdat ut ense, fame
 Dispersas ut oves horrendi nocte dieq;
 Hostes nos querunt, insidiasq; struunt.
 Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes
 Pacem; quâ nihil hic dulcius orbis habet.
 Pacem, quæ leges & jura loquuntur ubiq;
 Et suus ex merito quemq; tuetur honor*

H3

Ergò

Ergò clementer da pacem Magne Jehova,
 Tu procerum solus jungere corda potes.
 Ut tua per totum spargatur gloria mundum,
 Unusquisq; tibi & carmina grata canat.
 Ah mala pelle procul! patrem defende JOHANNEM
 ERNESTUM patriæ, ut vivat in orbe diu.
 Vivat in orbe diu, vivendo & plurima lustra,
 Compleat in votis semper habemus & in
 Submissis precibus, da sanam in corpore sano
 Mentem, ejus quasò dirige consilia,
 Ut per eum posthac vires Ecclesia sumat
 Vi, fraude, insidiis quam modo Papa premit.
 Dirige conatus, ut stet sua gloria Musis
 A quibus omne decus vita togata petit.
 Ut sibi virtutem exemplar proponat avorum, &
 Prudens arte forum templa scholasq; regat.
 In mundum tua se mox omnipotentia sparget,
 Qui referet laudes ore sonante tuas.

ALIA

In beatum ejusdem obitum ab eodem
 scripta

PARODIA HORATIANA E
 LIBRO IV. CARMIN ODA

3.

Quem tu, progenies DEI
 Æterna, in supera sede locasti, eum
 Non fortis violentia
 Adversæ premet; haut anxietas, dolor,

Non

Non crux in gremio Abrahæ
Tanget; non timor in secula cuncta, nec
Legis fulmina tristia
Sanctâ projicient à facie tua;
Non hæres Phlegetontius
Damnabit Stygii ad limina carceris;
Quod peccaverit inscius.
Sed Patris favor & gratia, sanguine,
Est quæ parta tuo, fides
Ac invicta choros inter amabiles
Ponit coelicolum, minus
Et post invidiæ subjacet hostium
O solaminis optimi
Gustum suppeditas qui sitientibus!
O credentibus omnibus
Donature salutem merito tuo!
Totum muneris hoc tui est
In coelis fruitur quod sine termino,
Noster JAN CASIMIRIUS
Princeps lætitiâ & nectare coelitem.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

QK 912 2301

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

HC



ULB Halle
004 967 488

3



VDT7





cipem nostrum
 pietas eju
 cum pietat
 um erga c
 am religio
 tissimus.
 lutus & sa
 fœdus in
 ræ infirm
 fuit nam
 & in lege
 non mod
 suo custo
 boris, qu
 dat in ter
 datissime
 vitæ suæ
 cum Pro
 occultis
 tatem ne
 tavit, sed
 peccator
 ta animi
 petravit,
 cavit *Act*
 cœna mu
 sunt *ver*
 illi non c
 tus est an
 tam in se
 nas & bo
 runt, aula
 armamer

uc viveret,
 videbatur,
 eum studi
 a orthodo
 st locuple
 ismum ab
 ndatus est,
 n per natu
 nq; semper
 voluptatem
 a siquidem
 m in corde
 it instar ar
 ctum suum
 m cum lau
 clesiæ quam
 oravit, qui
 itelligit, ab
 en infirmi.
 non occul
 , suorumq;
 nem devo
 etit ac im
 fide purifi
risti in sacra
 infallibilia
 mitas, qua
 eam exper
 n territorio
 rnm fortu
 anu invola
 spoliarunt,
 e instructif
 simum

